SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica
Kopernikańska
w Toruniu
SCHULPROGRAMME

AESCHYLI EUMENIDUM

VERSUS 234—388 HERM.

EMENDATI ET EXPLICATI

A

REINHARDO SCHULTZE,

DR. PHIL. SUBRECTORE GYMN.

BEIGABE ZUM OSTER-PROGRAMM DES FRIEDRICH-WILHELMS-GYMNASIUMS
ZU KÖNIGSBERG I. D. N. 1876.

KÖNIGSBERG I. D. N.

DRUCK VON J. G. STRIESE.

1876.

1876. Progr. Nr. 60. b

Posteriorem Eumenidum fabulae partem, quae Athenis agitur, longo temporis intervallo a priore seiunctam fecit poeta. Quod e compluribus fabulae locis conspicere licet. Scaenae enim facta mutatione, qua Athenae repraesentantur cum templo Minervae Poliadis, Orestes proscenium ingressus a parte sinistra novem versibus (234—243) se in Minervae templo commorantem eiusque simulacrum amplexum causae suae iudicium exspectare velle indicat. Itaque in fine huius orationis ad statuae pedes, quae erat in proscenio ante templi valvas, se proiciens hoc habitu a spectatoribus nec non a Furiis conspicitur, quod ipsae significant v. 256. Dicit autem Orestes se in aliis domibus et hospitiis hominum, quos multos fuisse vv. 281 sq. ostendunt, versatum terram et mare perlustrasse. Furiae quoque vv. 248—250 se non solum per omnes terrae partes sed etiam per mare fugitivum persecutas esse dicunt, id quod iam praedixerat Oresti Apollo vv. 78—80. Itaque cum longius temporis spatium cogitandum sit inter duas tragoediae partes, confirmatur ea ratio, qua constituendae sint singulae totius fabulae partes, quam iam olim proposui in programmate scholastico Colbergae edito a. MDCCCLIX, p. X sq. Neque enim Orestis versus novem cum eis qui antecedunt in unam tragoediae partem consociari possunt, sed alterum, quamvis brevissimum, efficiunt prologum. Denuntiat autem Orestes se scelestum quidem deae appropinquare, sed non supplicem et expiatis iam manibus, quare benigne se exciperet

οὐ προστρόπαιον οὐδ' ἀφοίβαντον χέρα,
ἀλλ' ἀμβλὺν ἤδη προστετριμμένον τε πρὸς
ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασι βροτῶν.

In quorum versuum ultimo recte videtur Porsonus ad vocem *πορεύμασι* adiecisse *ν ἐφελκυστικόν*, neque enim in versibus senariis talis positio, qualem efficiunt litterae *βρ*, admitti potest. Audacius in his versibus versatus est Hermannus, qui ultimis duobus traiectis tres illos versus ita constituit, ut postremus ab antecedentibus verbis seiungendus eis quae sequuntur adnectendus sit:

οὐ προστρόπαιον, οὐδ' ἀφοίβαντον χέρα
ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν
ἀλλ', ἀμβλὺς ἤδη προστετριμμένον μύσος,
ὅμοια χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν,
σώζων ἐφετμὰς Λοξίου χρηστηρίους,
πρόσειμι δῶμα καὶ βρέτας τὸ σόν, θεά.

Praecipua causa, quae moveret Hermannum ut recederet a librorum lectione, ea videtur fuisse quod *πρός* vocabulum in fine senarii satis habet offensionis. Sophoclea exempla, quibus praepositiones reperiuntur in fine senariorum, in Aeschyli fabulis nihil valere possunt. Apud Aeschylum autem praeter hunc unus exstat locus Ag. 1230, ubi *μετὰ φίλων* corruptum esse inter recentiores quidem constat interpretes (neque enim est Casssandra inter amicos), quorum Lachmannus de chor. syst. p. 21 emendavit *καταγελωμένην με τλάς*, Hermannus dedit *μέγα* pro *μετά*. Quare cum hic praepositionum in fine

senariorum usus Aeschylo abiudicandus sit, fuere qui vocabulum πρός nostro loco non esse praepositionem sed adverbium statuerent, ut valeret 'praeterea'. Sed praeterquam quod satis languidum, ne dicam supervacaneum est nostro loco illud additum 'praeterea', quivis hos versus legens propensus erit ut pro praepositione accipiat vocabulum πρός et iungat cum sequentibus verbis ἄλλοισιν οἴκοις. Mihi igitur non dubium videtur quin aliquid mutandum sit in hoc versu. Itaque circumspiciendum, num quid probabile iam sit inventum. Quod Gothanus editor proposuit, προστετριμμένον τέ πως, nimis languet. Ad sententiam aptum est quod Hermannus dedit προστετριμμένον μύτος. Propius autem ad litterarum ductus accedit προστετριμμένον τ' ἄγος, in quod et ipse incidi, et Martinum iam coniecisse ex Weilii nota vidi. Neque tamen Hermannianam horum versuum traiectionem ego probaverim, sed ita scribendos censeo:

οὐ προστρόπαιον, οὐδ' ἀφοίβαντον χέρα,
ἀλλ' ἀμβλὺν ἤδη προστετριμμένον τ' ἄγος
ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν.

Aliam emendandi viam ingressus est Prienius in censura Oresteae a Franzio editae in mus. Rhen. vol. VI, p. 572, qui accusativos ἀμβλύν et προστετριμμένον in nominativos mutans hos versus ita scripsit:

δέχου δέ πρευμενῶς ἀλάστορα,
οὐ προστρόπαιον οὐδ' ἀφοίβαντον χέρα,
ἀλλ' ἀμβλὺς ἤδη προστετριμμένος τε πρὸς
ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν
ὅμοια χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν,
κτλ.

Verbis ἀμβλὺς ἤδη προστετριμμένος τε πρός (ultimum vocabulum pro adverbio accipit) duo participia ἐκπερῶν et σώζων subiuncta esse vult. Qua ratione offensio illa, quam movet πρός vocabulum in fine versus positum, non tollitur. Illud quoque Prienius mihi non persuasit, verba ἀλλ' ἀμβλὺν ἤδη προστετριμμένον τε πρὸς ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν a verbo δέχου minus bene pendere. Insequenti versu refutandae sunt virorum doctorum supervacaneae coniecturae, primum Gothani, qui ut languidum reiciens vocabulum ὅμοια versum ita scribi vult:

ὄναιο! χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν,

'quae res bene tibi (Minervae scil.) eveniat, adsum post cursum longinquum mandatu Apollinis', ut idem indicetur quod postea dicit Apollo vv. 661 sqq. Sed unde scire potuit Orestes receptum se Athenis Minervae eiusque urbi saluti fore? Eis enim verbis, quibus eum monuerat Apollo ut longis erroribus peractis tandem Athenis refugium quaereret (vv. 77—87) illius rei ne verbo quidem mentio fit.

Weilius plene distinguens post ἐκπερῶν post hunc versum novi sensus initium (καὶ νῦν . . . .) excidisse putat, ut nominativus ἐκπερῶν ad ea quae antecedunt per anacoluthon referendus sit. Sed tale anacoluthon, quo nominativum ad tres accusativos paucis verbis seiunctos referre iubemur, vix mihi videtur tolerari posse. Sin servamus quam ceterae editiones praebent plenam post βροτῶν distinctionem, et ἐκπερῶν pariter ac σώζων cum eis coniungimus quae sequuntur, omnia recte procedunt.

In extrema Orestis oratione notandam esse praesentis temporis significationem in verbo πρόσειμι iam Schwenckius observavit. Quem usum apud poetas Atticos occurrere cum ipse docuerit Hermannus in dissertatione de Aeschyli Danaidibus inserta Opuscc. vol. II, p 326, ubi praeter nostrum exemplum ex Aeschylo affert Spt. 354, eo magis mirari licet quod vir praestantissimus versu insequenti recepit Stanleii coniecturam mutantis praesens ἀναμένω in futurum ἀναμενῶ. Neque vero cum quibusdam editoribus ἀμμένω scribere opus est.

Pro αὐτοῦ Weilius scribendum suspicatur ἀγκάς, collatis versibus 83, ubi Orestes iubetur ἄγκαθεν premere deae simulacrum, et 256, ubi a Furiis conspicitur περὶ βρέτει πλεχθεὶς θεᾶς ἀμβρότου. Quamvis non negaverim ἀγκάς aptam hic sententiam effecturum, tamen αὐτοῖ prorsus intactum servandum esse duco.

Postquam ad deae pedes se proiecit Orestes, Furiae persequentes et quaerentes eum a sinistra in orchestram irruunt. Quem esse celeberrimum illum ingressum σποράδην factum eundemque epiparodon chori et alii intellexerunt, et ego fusius exposui in commentatione cuius modo mentionem feci, partic. III. Sed quo ordine Furiae irruerint, magnopere inter viros doctos discrepare video. Muellero enim, qui duobus longis ordinibus Furias intrantes fecit, identidem quam acerrime repugnarunt Hermannus et Fritzschius. Sed quidni etiam duobus ordinibus intrare, quod Graeci dicunt κατὰ δύο, ingressus sit σποράδην factus? Quam quaestionem ut diiudicemus, primum statuendum erit de cantico, quod chorus aut inter ingrediendum aut statim post ingressum pronuntiat. Quod non ab universo choro sed ab singulis choreutis recitatum esse et rei ipsi aptissimum est et inter omnes, quantum video, interpretes constat; praeterea numeris quoque indicatur, qui sunt versus dochmiaci et cretici intermixtis versibus senariis. Mirabilem, ut hanc paucis transigam, de hoc cantico Muellerus rationem finxit, quam etsi ipse dicit 'eine gewiss sehr ungezwungene Weise', nimis tamen est artificiosa. Conatur enim vv. 255—272 in duas describere strophas antistrophasque. Qua ratione cum evadat altera antistropha duobus dochmiis longior quam stropha, eo descendit ut quartum et quintum choreutarum paria non stropham modo sed una cum aliis paribus duos quoque illos dochmios, quibus antistropha superat stropham, recitantia faceret. Nostra aetate neminem quidem fore opinor, qui talia artificia comprobet. Sed qui strophicam huius cantici responsionem restituere conaretur, nuper exstitit Heimsoethius in libro quem conscripsit de restituendis Aeschyli fabulis. Ac priores quidem cantici versus (255—260) facile ei erat in stropham et antistropham describere. Nihil aliud enim mutans nisi πλεχθείς in πλακείς et κεχυμένον in χυθέν γ' hos versus p. 317 ita scripsit:

στρ. ὅδ' αὖτε γοῦν ἀλκὰν ἔχων περὶ βρέτει
πλακεὶς θεᾶς ἀμβρότου
ὑπόδικος θέλει γενέσθαι χερῶν.
ἀντ. τὸ δ' οὐ πάρεστιν αἷμα μητρῷον χαμαὶ
δυσαγκόμιστον, παπαῖ
τὸ διερὸν πέδοι χυθέν γ' οἴχεται.

In versibus autem qui sequuntur p. 211 sqq. 227 sq. audacius versatus est, quam ut antistrophicos esse mihi quidem persuaderet. Et ipse totum hoc carmen antistrophicum reddere olim conatus cum vidissem nimis multa esse mutanda, ab hoc conatu desistere satius duxi. Sed etiam quae alii prodiderunt viri docti, vix minus videntur probanda. Fritzschii, ut ad hunc procedam, de hoc cantico disputatio iam eo debilis est quod bis diversa ratione inter chori personas illud descripsit. Ac primum quidem totum canticum inter tres chori duces, quos Furias vulgares (Volksfurien) vocat, distribuit, tum inter universos quindecim choreutas. Lachmannus de chor. syst. p. 90 canticum inter quattuordecim choreutas divisit, coryphaeo, cuius sint qui antecedunt versus senarii, ut Muellerus nihil tribuens. Omnes illae descriptiones eo mihi videntur laborare quod nimis brevia aut interrupta singulorum dicta constituunt. Quod quidem vitium vitarunt alii duo viri docti, quorum commentationes ad Aeschylum spectantes in priore dissertatione commemoravi ad v. 143: Rossbachium dico et Bambergerum. E quibus Rossbachius hoc quoque carmen ut prius illud hemichoriis tribuendum ratus primo hemichorio adscripsit vv. 253. 254. 258—260, alteri 255—257. 261—265, universo choro 266—272. Contra Bambergerus in dissertatione de carminibus Aeschyleis a partibus chori cantatis p. 65 sqq., dum coryphaea versus

senarios pronuntiat, chorum iam totum congregatum esse censens carmen ita descripsit, ut sex cola secerneret et inter chori tres ordines (*στοίχους*) divideret. Qua in descriptione id unum vituperaverim, quod in quarto colo ultimus versus (*καὶ ζῶντα σ' ἰχνάσασ' ἀπάξομαι κάτω*) non bene cum eis quae antecedunt, et in quinto primus versus (*ἀντιποίνους τίνεις μητροφόνας δύας*) minus etiam apte cum eis coniungitur qui sequuntur. Quos duos versus si exemeris et in unum colon consociaveris, Hermanniana evadit cantici descriptio, quae, ut dicam quod sentio, unice vera mihi videtur. Hoc quoque loco ut in permultis admirari licet summam viri praestantissimi sagacitatem in describendis partibus commaticorum, qua sagacitate tam multa in tragoediis Graecis cantica explanavit et illustravit. Sed ut ad rem redeam, septem cola distinxit Hermannus a v. 253—272, quorum initia et exitus certis quibusdam signis indicantur. Si quidem haec divisio in universum prorsus probanda mihi videtur, duabus tamen rebus paululum eam mutare licebit. Quarum est prima quod minus aptum videtur tertium, quartum, quintum, sextum, septimum colon a versibus senariis incipere, primum a dimetro dochmiaco, secundum a versu composito ex dipodia iambica et cretico. In v. 255 iam Fritzschius hanc offensionem removit. In quo cum libri habeant *ὅδ' αὐτέ γ' οὖν ἀλκὰν ἔχων*, Hermannus eiecta vocula *οὖν* scripsit *ὃ δ' αὐτέ γ' ἀλκὰν ἔχων*. Fritzschii autem coniectura, qui ex *γ' οὖν ἀλκάν* novam vocem effecit *γουναλκάν* Aeschylo dignissimam, perquam probabilis mihi videtur. Tum adscitis scholiastae verbis *ἀνθ' ὧν ἡμῖν χρεωστεῖ πρόσφυξ θέλει γενέσθαι τῆς θεοῦ* Fritzschius viam monstravit, qua plenus efficeretur trimeter. Itaque non dubito talem proferre versum senarium:

ὅδ' αὐτε γουναλκὰν ἔχων, πρόσφυξ γεγώς,

quamquam non dissimulo ultimorum vocabulorum incertam esse rationem. *ὅδ'* autem 'hicce', ut est in libris, cum Heimsoethio et Gothano scribere praestat quam *ὁ δ'* cum Hermanno ceterisque editoribus. Quo modo cum secundo colo suus redditus esset senarius a quo inciperet, ad primum aggressus ex versu:

ὅρα, ὅρα μάλ' αὖ, λεύσσετον πάντα, μή

senarium efficere conatus sum. Quod cum vix fieri posse intellexerim, antecedentem versum:

ὀσμὴ βροτείων αἱμάτων με προσγελᾷ,

qui a coryphaeae versibus senariis apte secernitur, primo cantici colo adiungendum puto. Idem iam Ioannem Minkwitzium fecisse video, qui in Eumenidum recensione (Lipsiae MDCCCXXXVIII) in cetera huius cantici constitutione prorsus Hermannum secutus est. Quae si recte se habent (neque enim res omni caret dubitatione), praeter novem senarios septem sunt chori dicta, unum quodque a senario incipiens. Altera res, qua ab Hermanno dissentio, illa est quod invenustum mihi et ad congruentiam aequalitatemque, quae est in tragoediis Graecis, parum aptum videtur in cantico recitando septem chori personas verba facere, ceteras tacere. Quare ad eum ordinem, quo Muellerus Furias orchestram intrantes fecit, redeundum censeo. Prima irruit coryphaea, nondum conspiciens fugitivum a se petitum, sed tandem se vestigia eius invenisse novem senariis (vv. 243—251) indicans. Tum sequuntur septem Furiarum paria, quodque e septem illis colis, in quae ex Hermanniana ratione paululum mutata canticum describitur, unum pronuntians. Talem quoque Furiarum ingressum *σποράδην* factum dici posse iam supra monuimus, neque *εἰσάγειν σποράδην τὸν χορόν* de choro duobus ordinibus in orchestram irruente dici non posse mihi persuasit qui nuper de hac epiparodo disseruit, L. Myriantheus in libro qui inscriptus est 'Die Marschlieder des griechischen Drama' p. 52 sqq. Neque enim est quod Pollucis (IV, 109) verba: *ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ καθ' ἕνα ἐποιοῦντο τὴν πάροδον*, ad Eumenidum fabulam referamus. Et ipsa Furiarum verba illi rationi a Muellero institutae favent. Primum enim par, ipsum nondum conspiciens Orestem, vv. 252—254 humani sanguinis odorem se arridere canit, quare omnia circumspicerent ceterae, ne ex manibus sibi evaderet matricida; secundum autem par ipsum conspicit fugitivum ante pedes deae proiectum. Non ignoro ad suam divisionem defendendam Hermannum verbis, quae

scholiasta ad verba ὅρα, ὅρα μάλ' αὖ, adscripsit: το αὐτὸ πρόσωπόν ἐστι, ita usum esse ut principi chori personae, quae pronuntiat antecedentes versus senarios, versus quoque 253 sq. tribueret. Quae verba sensu carere et mutila esse iam Wellauerus et Lachmannus censuerunt. Quid vero? ad nostram descriptionem defendendam nonne pari modo his verbis uti possumus, quippe quae adscripta sint versui 253, quem nos cum eo qui antecedit in unum colon consociavimus? Utcunque se habent ista verba, id solum mihi videntur indicare, scholiastam aliquam notitiam habuisse, quo modo quod sequitur canticum inter singulos choreutas dividendum sit; ad divisionem ipsam nihil valere possunt. Contra duali, qui inest in lectione cod. Med., aliquid maioris momenti tribuendum videtur. Is enim liber habet λεύσσε—τον. Quibus in litteris quamquam numeri dualis forma non uno verbo expressa est, tamen Muellero ego assenserim, qui isto numero significatum censet κατὰ δύο Furias in orchestram prodire. His enim verbis, quae ex nostra descriptione secundum pronuntiat par, insequens monetur ut omnia circumspiciat. Quem numerum dualem Franzius quoque servavit. Contra Hermannus λεύσσετον mutans in λεῦσσέ τε dimetrum dochmiacum effecit; sed nihil obstat quo minus dochmium excipiant duo cretici, cum in toto hoc carmine saepius dochmiacis numeris cretici intermixti sint. Si quidem, id quod fecerunt Rossbachius et Weilius, scribimus λεῦσσε τὸν πάντα, minus etiam mihi numeri congruere videntur.

Quoniam exposuimus, quo modo intrarit orchestram chorus, et qua ratione canticum, quae est epiparodus, sit describendum, redire necesse est ad coryphaeae senarios qui canticum antecedunt, de quibus pauca notanda restant. Primum dicam de versuum numero. Ego persuasum habeo permultum nunc ludi a viris doctis in computandis versuum numeris, neque multum huic rei tribuo; sed si ceteris accurate perpensis insuper accedit numerorum ratio, aliquid momenti habere potest. Ita Weilius post v. 239 lacunam statuens ei coniecturae etiam numerorum rationem favere dicit. Quae ratio vix alia esse potest quam quod, cum ex vulgata epiparodi descriptione decem sint coryphaeae senarii, Oresti quoque decem tributos vult. Nos numerorum rationem non adfectantes coryphaeae unum versum dementes novem relinquimus, qui mirum in modum consentiunt cum novem versibus iambicis, quos lacuna non admissa Orestes pronuntiat.

V. 246 in libris est ἐκμαστεύομεν, item Ag. 1058 μαστεύομεν, ubi Hermannus Schuetzium secutus dedit ματεύομεν. Ceteri editores nostro quoque loco ediderunt ἐκματεύομεν. Neque tamen verbum μαστεύειν tragicis poetis prorsus abiudicandum videtur, immo vero ubi metrum non oppugnat, admittendum. Item insequenti versu intacta servanda vox ἀνδροκμῆσι. Similis vox σιδηροκμῆσιν a scholiasta ad Soph. Ai. 325, ubi est ἐν μέσοις βοτοῖς σιδηροκμῆσιν, explicatur τῷ σιδήρῳ φονευθεῖσιν. Passivam hanc significationem habet verbum κάμνειν in voce δορικμής loco, quem Lobeckius affert, Choeph. 360: δουρικμῆτι λαῷ. Nostro tamen loco, quamvis passive accipi possit μόχθοις ἀνδροκμῆσι: laboribus quibus a viro (i. e. ab Oreste) defatigati sumus, activam interpretationem praetulerim: 'anhelant viscera ex multo virum defatigante labore'. Eadem ratione accipienda sunt apud ipsum Aeschylum ἀνδροκμὴς λοιγός Suppl. 652, ἀνδροκμῆτα πέλεκυν Choeph. 877, denique in nostrae fabulae v. 943: ἀνδροκμῆτας δ' ἀώρους ἀπεννέπω τύχας. Proxime vero ad nostrum locum accedit Eurip. Suppl. 525: οὐδ' ἀνδροκμῆτας προσφέρων ἀγωνίας. Non igitur necessarium videtur coniecturis nova vocabula in Aeschylum inferre, qualia sunt Wieseleri ἀδροκμῆσι, Schoemanni ἀρθροκμῆσι, Weilii ἀκροκμῆσι. ἀρθροκμῆσι Heimsoethius quoque coniecit 'Kritische Studien' p. 214, qui, id quod mihi parum probabile videtur, scholiastae interpretationem μεγαλοκμῆσι corruptam putat ex μελοκμῆσι. Neque tamen negaverim aliquid incommodi remanere, si servamus lectionem ἀνδροκμῆσι. Nempe non sunt viri vel homines Furiae, sed daemones. Sed sexcenta apud Graecos reperiuntur adiectiva composita, in quorum significatione prima compositionis pars creberrimo usu prorsus paene evanescit.

Ad hos versus scholiastes adscribit Orestem Argis Delphos, inde longis erroribus Athenas profectum adhuc cruore manare παραδοξολογίας esse τραγικῆς. Sed neminem esse credo qui putet spectatoribus ante oculos esse Orestem re vera cruore manantem; immo vero solis Furiis ita videtur.

Cum dicat chori princeps v. 250 se in persequendo fugitivo celeritate non inferiorem fuisse nave, hoc ita intellegi voluit Schuetzius, ut non universe de navibus dictum sit, sed significetur navis qua Orestes ad Athenas appulerit. Attamen ipse Orestes dixerat vv. 237—239 multorum hominum sedes se perlustrasse et mare pariter ac terram transmigrasse, neque ullo totius tragoediae loco indicatur postremum nave eum ad Atticam terram appulisse.

De eo quod sequitur chori cantico gravissima iam monuimus, restant singula. V. 254 adverbium φύγδα correptum ex φύγαδε hoc solo loco reperitur. Similis est ratio adiectivi ἀτίτης (pro ἄτιτος), quod praeter nostrum locum occurrit tantum Ag. 72, ubi tamen non est 'impunitus' sed 'inhonoratus'. Utramque significationem huic adiectivo tribuit Hesychius.

Quae ad v. 257 scholiastes adnotavit: ἀνθ' ὧν ἡμῖν χρεωστεῖ πρόσφυξ θέλει γενέσθαι τῆς θεοῦ, iam usi sumus cum Fritzschio duce ex v. 255 senarium effecimus. Ex scholiastae verbis pro χερῶν, quod v. 257 praebent libri, Scaliger et Wakefieldius effecerunt lectionem χρεῶν, quam receperunt Hermannus, Schoemannus, Weilius. Facilis est mutatio et aptam praebet sententiam: vocem enim χρέος de culpa homicidio contracta non usurpari Muellerus, qui gravissime huic mutationi repugnavit, non comprobavit. Ipse tamen Hermannus concessit posse scholiastae explicationem ad solum vocabulum ὑπόδικος spectare; cumque χερῶν, qua voce facinus significari recte Franzius monuit, satis aptam praebeat sententiam, hoc quoque loco vulgatam lectionem servare satius duco.

V. 258 sq. omnes, quantum video, editores Hermannum secuti sunt, qui post χαμαί distinxit, cum antea vocabulum δυσαγκόμιστον ad praecedentia referretur. Neque id immerito. Praeterquam enim quod scholiastes ita videtur intellexisse hunc locum, orationis vim tolli apparet, si primum nude dicitur αἷμα μητρῷον χαμαί, deinde additur δυσαγκόμιστον illud esse. Neque tamen cum Hermanno plene sed cum Dindorfio commate tantum distinxerim post χαμαί. Insequenti versu cum libri habeant πέδῳ κεχυμένον, metro obstans, Porsonum secuti editores dederunt πέδῳ (vel πέδοι, ut Weilius) χύμενον. Sed maxime probabilis videtur Wieseleri coniectura, qui collato v. 644: τὸ μητρὸς αἷμ' ὅμαιμον ἐκχέας πέδῳ, nostro loco scripsit πέδῳ 'κχύμενον.

Postquam primum Furiarum par Orestem quaesivit, secundum conspexit ad deae pedes proiectum, tertium minatum est hoc auxilium nullo commodo ei fore, maternum enim sanguinem irrevocabilem esse: cetera paria ipsum eum adloquuntur vv. 261—265. Crudeli quadam cupiditate tenentur Furiae sanguinis sorbendi matricidae. Prima igitur quarti paris verba ita sunt intellegenda: δεῖ σε ἐρυθρὸν ἐκ μελέων πέλανον (i. e. cruorem, θρόμβον αἵματος explicat schol.) ἀντιδοῦναι (ὥστ' ἐμὲ) ἀπὸ ζῶντος ῥοφεῖν. — Proximo versu recte traiecit vocabula βοσκάν et φροίμαν Wellauerus, quo facto versus evadit compositus ex dochmio et duobus creticis. βοσκὰν φροίμαν πώματος δυσπότου numerum efficeret hoc loco non aptum. Aliter hunc versum constituit Weilius inserto pronomine ἐγώ, quo facto versus exsistit constans ex dipodia iambica tribusque creticis:

βοσκὰν φροίμαν ἐγὼ πώματος δυσπότου.

Eundem numerum in proximo versu restituit:

ἵν' ἀντιποίνους τίνῃς ματροφόντας δύας.

In quo versu magna in libris scripturae discrepantia est, magna coniecturarum copia, quas omnes enumerare nihil attinet. Illud videtur constare, verbo praesenti τίνειν, quod in textum admisit Wellauerus, hic nihil opus esse, sed requiri aut futurum aut coniunctivum, qui in lectione codicis Medicei videtur latere, addita coniunctione finali. Quae facillime efficitur, si cum Schuetzio ἀντιποίνους mutaveris in

ἀντίποιν' ὡς. Contra non opus est, id quod Casaubonum secuti permulti editores, in quibus Hermannus, fecerunt, ex adiectivo ματροφόνας efficere genetivum ματροφόνου. Si quid mutandum est, scribendum ματροφόνους. Ex magna exemplorum farragine a Schwenckio congesta, quibus adiectivum compositum coniungitur cum substantivo abstracto, unum afferre sufficit, huius fabulae v. 278: μητροκτόνον μίασμα, vel, sicuti nos verba iungenda censemus, χρέος μητροκτόνον, ubi neque Schuetzius neque Franzius neque Hermannus, qui omnes nostro loco dederunt ματροφόνου δύας, aliquid mutaverunt. Ego igitur v. 265 ita scribo:

ἀντίποιν' ὡς τίνῃς ματροφόνους δύας.

Prorsus singularem emendandi rationem hic ut saepius iniit Wieselerus. Is enim, cum v. 264 apud Robortellum legatur καὶ κάτω, hos duos versus ita constituendos proposuit:

καὶ ζῶντά σ' ἰσχνάσασ' ἀπάξω, καὶ κάτω
ἀντιποίνους τίνεις μητροφόνους δύας.

Cui rationi cum alia tum id obstat quod, ut modo commemoravi, futuri temporis significatio hoc loco requiritur.

A v. 266—269 sextum Furiarum par Oresti praedicit eum apud inferos alios quoque homicidas similibus poenis mulctatos visurum esse. Quae etiamsi languida et huic loco aliena videri possint, reputandum tamen est id Furias inculcare velle, se non privato odio Orestem persequi, sed suum esse munus puniendi, quicunque magnum aliquod commiserunt scelus. De Ixione, Tantalo, Sisypho, Danaidibus cogitare licet. In quorum versuum primo (266) Heathius, quem recentiores editores secuti sunt, pro accusativo ἄλλον, qui est in libris, nominativum ἄλλος posuit. Attamen mox rationem indicabimus, qua non solum servari potest accusativus, sed etiam elegantiorem praebet sententiam, si corruptelam consideraverimus, quae in proximo inest versu. Is enim, ut in libris scriptus est:

ἢ θεὸν ἢ ξένον τιν' ἀσεβῶν,

metro claudicat. Fuerunt quidem qui hoc numero acquiescendum putarent: dochmium esse adiuncto cretico. Sed praeterquam quod creticus prima syllaba soluta iam aliquid habet offensionis, nusquam toto hoc cantico reperitur unus creticus versibus dochmiacis intermixtus. Quare quin aliquid vitii contraxerit hic versus non videtur dubium esse. Hermannus, ut duos dochmios compleret, scripsit τιν' οὐκ εὐσεβῶν, alii post ἀσεβῶν duas syllabas excidisse putant, quae iambi habuerint mensuram. Weilius vel admisso anacolutho numerum pluralem participii (ἀσεβοῦντες) intulit. Mihi rectam emendandi viam ostendisse, sed ipse haud satis feliciter progressus esse in ea videtur Gothanus. V. enim 266 ita quoque legi posse contendit:

ὄψει δὲ κεἴ τις ἄλλον ἤλιτεν βρότον,

'si quis alium sanguinem per scelus fecit', et substantivum βρότον eo defendere vult quod apud Homerum et Lycophronem occurrit. Quod argumentum non multum (immo vero nihil) facere ipse intellegit ad Aeschyleum usum diiudicandum. Item proximo versu non satis video causae cur ξένον in ξένων mutaverit. Contra assentiens ei, cum post ἀσεβῶν verbum finitum excidisse statuit, ultra progredior. Ad verbum enim, quod ille inseruit, διῆγ', non solum refero participium ἀσεβῶν, sed etiam ἤλιτεν in participium mutans totum locum ita scribo:

ὄψει δὲ κεἴ τις ἄλλον ἁλιτὼν ἐν βροτοῖς
ἢ θεὸν ἢ ξένον τιν' ἀσεβῶν διῆγ'
ἢ τοκέας φίλους
ἔχονθ' ἕκαστον τῆς δίκης ἐπάξια.

Ad quam fulciendam emendationem, quam paulo audaciorem esse sentio, opus est primum ut demonstremus sententiarum ordinem recte procedere, deinde aliqua saltem ratione indicemus, quo modo ex

hac scriptura corruptelam quae est in libris ortam esse probabile sit. Quod attinet ad sententiarum nexum, iam pridem in nominativo ἄλλος offensum me esse fateor. Namque cum in quinto chori dicto verba fiant de matricidae poenis, huic sententiae recte opponitur, etiam si quis alium hominem violaverit, i. e. qui ei non sit pater aut mater, eum quoque apud inferos suo quemque facinore dignas poenas daturum esse. Cum autem v. 268 inserantur verba ἢ τοκέας φίλους, quae ad ἤλιτεν ἀσεβᾶν referenda sunt, si, id quod Minckwitzius quoque fecit, servamus lectionem ἄλλον, turbatur sententiarum nexus. Quae omnia aliter fiunt, si duo habemus participia, utrumque referendum ad verbum διῆγε. Iam ita ordines totam sententiam: ὄψει δὲ κεἴ τις διῆγεν ἄλλον ἁλιτὼν ἐν βροτοῖς ἢ θεὸν ἢ ξένον τιν' ἀσεβῶν ἢ τοκέας φίλους. Quin etiam ipsum hoc additamentum ἢ τοκέας φίλους suspectum mihi est, quippe quod facile ab imperito librario, qui non satis intellexerit in eis quae antecedunt iam satis dictum esse de matricidae poenis, inseri potuerit. Denique videor mihi viam monstrare posse, qua corruptelam quae est in libris irrepsisse probabile sit. Primum excidit verbum, quod per διῆγ' Gothanus supplevit; deinde sciolus quidam librarius, qui verbum finitum desideraret, ex ἁλιτών effecit ἤλιτεν, quod simul praepositionem ἐν absumpsit; denique solus relictus dativus genetivo cessit.

Postquam septimum Furiarum par Plutonem praedicavit quasi summum mortalium iudicem subterraneum, qui omnia eorum peccata suae ipsius menti quasi pugillaribus impingeret, Orestes respondet versibus senariis viginti tribus (273—295). Cuius orationis initium

ἐγώ, διδαχθεὶς ἐν κακοῖς, ἐπίσταμαι
πολλοὺς καθαρμοὺς καὶ λέγειν ὅπου δίκη
σιγᾶν θ' ὁμοίως,

cum Weilio neque scholiastes neque recentiores interpretes expedivisse videantur, ipse ita edidit:

ἐγὼ διδαχθεὶς ἐν κακοῖς ἐπίσταμαι
σιγᾶν θ' ὁμοίως καὶ λέγειν ὅπου δίκη
πολλοὺς καθ' ὅρμους.

Nempe offendit in verbis πολλοὺς καθαρμούς, quae sive ab ἐπίσταμαι sive a διδαχθείς pendeant, ab huius loci sententia aliena esse dicit. Sed vereor ne quae ipse inseruit verba πολλοὺς καθ' ὅρμους multo sint alieniora. Ut significare possint 'multis in hospitiis', id quod demonstrare supersedit Weilius, haec tamen verba nisi ex διδαχθείς pendere vix possunt; cum verbis enim σιγᾶν θ' ὁμοίως καὶ λέγειν iuncta plane abundarent. Quod si ex διδαχθείς pendere illa verba statuimus, post tam multa interiecta nescio quo pacto languida et frigida sunt. Quare autem verba πολλοὺς καθαρμούς non bene a verbo ἐπίσταμαι pendere dicat Weilius, non assequor. Quidni enim Orestes dicat se scire multas lustrationes, quas in se expertus erat? Itaque hoc quoque loco acquiescendum librorum scriptura.

V. 277 sq. cum libri habeant

βρίζει γὰρ αἷμα καὶ μαραίνεται χερός,
μητροκτόνον μίασμα δ' ἔκπλυτον πέλει,

non modo speciosa, ut Dindorfio, sed perquam verisimilis mihi videtur coniectura Jacobsii, qui χερός mutans in χρέος atque aliter distinguens hos versus ita scripsit:

βρίζει γὰρ αἷμα καὶ μαραίνεται χρέος
μητροκτόνον, μίασμα δ' ἔκπλυτον πέλει.

In duobus qui sequuntur versibus, quibus Orestes matricidii piaculum, quod recens fuerit, lustrationibus ablatum esse dicit, magna exstitit inter viros doctos, Muellerum inprimis et Hermannum Fritzschiumque, contentio de verbis πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ Φοίβου. Muellerus enim commate distinguens verba θεοῦ Φοίβου magnopere ab duobus illis vituperatus est, quod secretis duobus his verbis, quae secerni non posse unus quisque videret, omnem sustulisset sententiarum nexum. Quod si sine ira et studio

ad hanc litem diiudicandam accesserimus, primum videndum erit ubi et quando matricidii piaculum ablatum voluerit poeta. Id Wieselerus quoque voluit, qui quidem iam prius quam templum Delphicum ingrederetur, ab Apolline expurgatum esse Orestem statuit: non enim credibile esse fingi ab Aeschylo Orestem non purgatum templum dei ingredientem. Iam in aedibus Agamemnonis expiationem factam esse contendit Klausenius, provocans ad Choeph. 1056, ubi olim legebatur εἶσω καθαρμός. Sed ad hunc versum non iam provocare licet, quem corruptum esse nunc quidem constat. εἰσίν καθαρμοί cum iam Schützius edidisset, Erfurdtius et H. L. Ahrensius ex scriptura codicis Med. εἰσσ' ὁ καθαρμός effecerunt εἶς σοι καθαρμός, quam emendationem plerique editores receperunt. Si poetae ipsius verba respicimus, templum Delphicum nondum expiatis manibus Orestem intrare patet, neque aliter, quantum video, Muellerus statuit. Contra expiatum iam et ne supplicem quidem, sed ut iudicii finem exspectaret, Apollinis iussu Athenas se migrasse compluribus nostrae fabulae locis (vv. 236 sqq. 443 sq.) ipse Orestes indicat. Cum vero nullo totius tragoediae loco hanc expiationem in templo ipso factam esse dicatur (neque enim v. 567 sq. ita accipi debent), immo in templo Furiis atrociter instantibus ne tempus quidem sufficerit ad expiandum, relicto demum templo expiatus esse potest. Quae Paus. II, 31, 7. 11 narrat de Oreste a Troezeniis expiato, meo quidem iudicio nihil facere possunt ad diiudicandam quaestionem, quo loco Aeschylus eius expiationem factam esse statuerit, cum v. 568 Apollinem dicentem faciat a se ipso lustratum esse matricidium. Quod cum in templo ipso apud Aeschylum certe non factum esse modo viderimus, nihil restat nisi ut statuamus Orestem in longis erroribus, quibus Delphis Athenas petivit, a deo expiatum esse, in templo ipso autem recens fuisse piaculum. Quare mihi quidem versus de quibus agimus Muellerus recte ita videtur distinxisse:

ποταίνιον γὰρ ὂν πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ,
Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη χοιροκτόνοις.

In qua distinctione offendi aliquem posse eo quod seiunguntur duo vocabula θεοῦ Φοίβου confiteor: sed illo ipso quod poeta vocem θεοῦ in fine versus posuit, videtur mihi voluisse indicare eam a sequenti voce Φοίβου seiungendam esse.

V. 283 damnaverunt Musgravius et Hermannus, quibus assensi sunt Wieselerus, Schoemannus, Dindorfius, Weilius. Ego concesserim careri posse hoc versu, quippe qui contineat sententiam prorsus generalem: neque tamen talis est qui necessario exturbandus sit. Itaque neque damnandum censemus hunc versum neque, quod item proposuit Hermannus, post v. 269 traiciendum (neque enim satis apte Orestes tempus diceret praeceptorem suum), neque cum Stanleio καθαιρεῖ mutandum in καθαίρει. Audacius hunc versum tractavit Anglus quidam, A. Buckley, cuius mentionem facit Dindorfius in praef. p. XXV. Is enim recepta Stanleii mutatione καθαίρει ab illo versu Orestis sermonem incipiens ita cum eis quae sequuntur eum coniunxit:

χρόνος καθαίρει πάντα γηράσκων ὁμοῦ,
κἀγὼ διδαχθείς κτλ.

Singulari modo de hoc versu iudicavit Welckerus in libro de trilogia Aeschylea conscripto p. 448 not. 735. Is mysticam quandam calculi Minervae significationem in eo vult reperire. Versuum numerorum ratio, cui haud multum me tribuere iam indicavi, potius suaderet ut unius versus lacuna statueretur hoc loco quam unus eiceretur. Postquam enim ab Apolline ipso expurgatum cum multis iam hominibus sermones se communicasse undecim versibus exposuit Orestes, duodecim auxilium implorat Minervae Atheniensium deae, pro quo lato auxilio suam ipsius Argivique populi societatem ei promittit. Vix possunt hi versus (283—295) ab Aeschylo compositi esse status rei publicae Atheniensium, qualis tunc erat, ratione non habita. In scaenam enim deducta est Orestea ol. 80, 2 (anno a. Chr. n. 459). Paulo ante autem ol. 79, 4 (anno a. Chr. n. 461) Athenienses propter repudiatum a Lacedaemoniis in tertio

bello Messeniaco auxilium societate cum illis sublata cum Argivis acerrimis Lacedaemoniorum hostibus foedus inierant. Quod idem cum Argivis modo initum foedus praeter nostrum locum Aeschylus significare videtur vv. 661—665, 754 sqq. Hos locos Muellerus cum nostro contulit, qui scite observavit nusquam ab Aeschylo commemorari Mycenarum urbem, quae aliquot annis ante ab Argivis solo aequata erat, at contra saepius animum prodi Argivis amicum. Porro si ab Oreste Minerva arcessitur ex terris Libycis et Tritonis lacu, facere vix possumus quin poetam commemorandis illis tam longinquis locis designare voluisse auxilia putemus, quae Athenienses anno ante Oresteae commissionem Inaro Afro adversus Persarum imperium rebellanti in Aegyptum miserant. V. 289 Minervam versari dicitur *χώρας ἐν τόποις Λιβυστικοῖς*. In quibus vocabulis nihil mutandum esse iam Schwenckius demonstravit congerendo exemplorum farraginem, quibus adiectivum proprie cum genetivo iungendum casui regenti adnectitur. Hoc vero loco dativus *Λιβυστικοῖς* non solum librorum consensu sed Tzetzae quoque auctoritate defenditur. Qui cum ad Lycophr. v. 519 adscripseriti: *καὶ Αἰσχύλος μυθικῶς· εἴτ' ἀμφὶ χεῦμα γενεθλίου σπόρου Τρίτωνος, ἐν τόποις Λιβυστίοις*, quibus verbis nostrum locum reddi patet, Wieselerus coniecit scribendum esse

Τρίτωνος ἀμφὶ χεῦμα γενεθλιοσπόρου.

Quamquam vox *πόρος*, quae est in Aeschyli codicibus, de impetu aquae qui est in flumine dicta (flumen autem fuisse Tritonem Herodotus testatur IV, 178) neminem offendere potest, tamen si eis, quae Tzetzes ex Aeschylo descripsit, aliqua fides habenda est, haud scio an Wieseleri coniectura in textum recipienda sit. Quod quidem Weilius ei obicit, non satam sed natam dici Minervam ad Tritonem, id Aeschylum putasse non necesse est. Namque si apud eundem Herod. IV, 180 scriptum invenimus ab accolis illius fluvii, qui exciperetur lacu Tritonide, Minervam putatam esse filiam Neptuni et nymphae Tritonidis, discordem autem cum patre Iovi adoptandam se permisisse, quidni Aeschylus, id quod saepius eum fecisse constat, hoc quoque loco reconditiores quasdam de deorum originibus fabulas tangat? Quin etiam, si tum maxime Athenienses Inaro in Aegyptum opem tulisse reputamus, Tritonem Nilum intellegere potuit: isto enim nomine Aegypti fluvium appellatum fuisse testatur schol. ad Apoll. Rhod. IV, 269.

Insequenti versu, qui in libris ita est scriptus:

τίθησιν ὀρθὸν ἢ κατηρεφῆ πόδα,

vox *κατηρεφῆ* magnam movit inter viros doctos contentionem, quam accuratius hic repetere eo magis supersedere possumus, quia horum verborum sententia videtur constare. Invocat enim Orestes Minervam, sive palam, sive nube velata, i. e. ipsis amicis non cernentibus, auxilium fert. Pro *κατηρεφῆ* Fritzschius scribendum proposuit *κατηφερῆ*, antea iam Burgesius *κατωφερῆ*. Utrique vocabulo cum alia tum illud obstat quod voci *ὀρθόν* haud satis recte opponitur, id quod in *καταρρεπῆ* ab Heathio propositum non cadit. Ac *κατηφερής* Fritzschianum illud vocabulum nusquam exstat in scriptore Graeco. Contra vocabuli *κατωφερής* certa quidem et indubitata esse exempla Lobeckius docuit ad Phryn. p. 439. 699. Sed uno excepto Xenophonteo exemplo, Cyneg. 5, 30, apud posteriores demum scriptores apparet. Itaque nihil in hoc versu mutare satius videtur.

Terris Libycis et Tritonis flumini, unde Minervae auxilium imploravit Orestes, v. 292 sq. adiungit Phlegraeos campos: ibi enim deam veluti audacem ducem copias inspicere. Quo nomine a verbo *φλέγειν* deducto patet significari solum flammas evomens, quod nostrates dicunt 'einen vulcanischen Boden'. Quocum consentit quod in illis Phlegraeis campis Gigantum pugnam debellatam esse veteres poetae narrant, quam hic ab Aeschylo quoque designari cum manifestum sit, illud tamen quaeritur ubi terrarum esse voluerit illos campos. Paeninsulam, cui postea nomen fuerit Pallene, olim appellatam fuisse Phlegram Herodotus narrat VII, 123. Atque in illis locis Gigantum caedes facta esse olim putabatur teste Strabone VII, p. 330. Idem tamen V, p. 243. 245; VI, p. 281 etiam in Italia Phlegraeos

campos commemorat sitos ad Campaniae oram, in quibus ipsis quoque Gigantum commissa pugna exsistimabatur. Quod si Aeschyli aetatem spectamus, is poeta Phlegraeos campos, unde Minervam arcessit Orestes, vix videtur alibi cogitasse ac circa Pallenen paeninsulam.

Orestis oratio paulo longior excipitur septem chori versibus senariis (296—303), quos inter tres duces ita descripsit Hermannus, ut coryphaeae quattuor sint versus, utriusque hemichorii ducis bini. Ea igitur ex descriptione, quam recte se habere et re ipsa comprobatur et indicatur lineola in cod. Med. ad v. 302 adscripta, qua personarum significatur mutatio, primum coryphaea Oresti dicit neque Apollinem neque Minervae vim prohibituram esse quin neglectus praeceps eat, *τὸ χαίρειν μὴ μαθόνθ' ὅπου φρενῶν* (v. 298). Quae verba paulo intricatiora Schuetzius iam expedivit hac interpretatione: 'ita ut prorsus quid sit animo laetari dediscas, ut nullus laetitiae sensus ad animum tuum penetrare possit'. Insequenti versu libri habent: *ἀναίματον βόσκημα δαιμόνων σκιά*. In quibus verbis nominativum *σκιά* ad praecedentes accusativos referendum nullo modo ferri posse cum pateat, iam Heathius emendavit *σκιάν*. Sed ita quoque haec vox ab antecedentibus seiuncta nimis friget. Itaque varia tentaverunt viri docti ad hunc locum sanandum, e quibus ipse Hermannus non semper eadem ratione statuit. In censura enim Eumenidum fabulae a Muellero editae provocans ad Hom. Il. V, 342 hunc versum ita scribendum putavit:

ἀναίματον βόσκημα, δαιμόνων σκιάν.

Ego neque quid ad nostrum locum faciat versus ille Homericus, quo deos sine sanguine esse et propterea immortales vocari dicitur, neque quid sit daemonum umbra video. Aliam rationem instituit Hermannus, cum in edendo Aeschylo vocabulo *σκιά* ut glossemate eiecto versum ita scriberet:

ἀναίματον βόσκημα τῶνδε δαιμόνων.

Quod si ita versum emendandum putarem, praeferrem lectionem *ἐναίματον*, quam commemorat scholiastes. Mitto aliorum in hoc versu curas, quem aliter distinguendo Weilius sanasse sibi videtur:

ἀναίματον, βόσκημα δαιμόνων, σκιάν.

Mihi quoque hanc rationem arrisisse fateor, priusquam inciderem in emendationem quam protulit Weckleinius in studiis Aeschyleis, p. 169. Qui vix una lineola mutata v. 299 cum eo coniungens qui sequitur ita scripsit:

ἀναίματον βόσκημα δ', αἱμόνων σκιά,
οὐδ' ἀντιφωνεῖς, ἀλλ' ἀποπτύεις λόγους;

Simul si quis versum illum cum antecedentibus coniungere malit, emendandi ratione vix minus facili scribi posse indicavit *ἀναίματον βόσκημά θ' αἱμόνων σκιάν*. Quae quidem ratio, cum Hermannianam versuum istorum descriptionem servandam ducam, mihi probabilior videtur.

Duos versus, quos primi hemichorii dux pronuntiat (301 sq.) in integrum restituit Hermannus adiecto interrogationis signo. Quae mutatio et tam lenis est et tam aptam praebet sententiam: 'Et tu non obloqueris, sed contemnis sermones, tu mihi nutritus et consecratus?', ut post hanc interpretationem luculenter ab Hermanno expositam mirer et Gothanum et Weilium circumspexisse alias emendandi interpretandique rationes. Ipse scholiastes, ad quem Weilius provocat ad suam coniecturam probandam, Hermannianae potius rationi favet; particulam enim negativam eum legisse ante verbum *ἀντιφωνεῖς* patet ex eis quae adscripsit: *οὐκ ἀποκρίνῃ· ἢ ἀντὶ τοῦ, οὐδὲ ἀντιφωνήσεις μοι.*

Denique secundi hemichorii dux Oresti minatur vivum eum Furias pasturum esse neque ad aram mactatum; auditurum autem carmen quod prorsus eum devincturum sit (*ὕμνον δέσμιον*). Huic carmini comparaverunt interpretes Shakespearii nobilissimum illud sagarum canticum insertum Macbethi tragoediae. Fortassis aptius etiam comparari licet incantationem illam, qua fugitivos homicidas a Furiis devinciri

facit Schillerus noster in carmine quod composuit pulcherrimum et omnibus notum de Ibyci poetae caede per grues indicata. Qui quidem ὕμνος δέσμιος quamquam stasimi loco fabulae insertus est, proprium tamen stasimon dici nequit; saltasse enim chorum inter recitandum illud carmen cum res docet, tum ipse dicit v. 304. 362. Iam hoc carmen emendandum et interpretandum suscipientes ad difficillimam, ni fallor, accedimus totius tragoediae partem. Quare praemonendum videtur compluribus carminis locis corruptissimam, ne dicam desperatam esse librorum lectionem inter omnes constare, ne quis miretur quod hic illic in exquirendis remediis paulo audacius progredi cogimur. Ut vero ubique rectum nos vidisse persuasum habeamus tantum abest, ut multis locis satis habeamus aliquid effecisse, pro quo si quis melius aut probabilius proposuerit, nos quoque, quod idem de se Schoemannus confessus est, maximo gaudio afficiet.

Sed ad rem ipsam accedamus. Ipsius ὕμνου δεσμίου, carminis ligatorii, ut Schuetzii versione utar, quasi prooemium anapaesti illi sunt a v. 304—318, quos recte in systema et antisystema cum epodo sua ita divisit Hermannus, ut una quaeque trium illarum partium binos habeat paroemiacos. Primus autem antisystematis versus paroemiacus (311) in libris optimis ita est scriptus: χεῖρας προσνέμοντας, aperte corruptus; neque enim integer est dimeter neque paroemiacus. Alii aliter huic vitio succurrerunt. Primum pro προσνέμοντας reponendum esse προνέμοντας, quod iam deteriores praebent libri, Hermannus vidit. Idem ex antecedenti adiectivo καθαράς inserens adverbium καθαρῶς ingeniosam multoque faciliorem effecit emendationem quam H. L. Ahrensius, qui post χεῖρας inseruit vocabula πρὸς φῶς. Ita Franzius edidit. Wieseleri quoque huius versus emendatio Hermanniana minus probabilis est. Is enim ex verbis a scholiasta ad Spt. 679 adscriptis: ἀντὶ τοῦ καθαρὰς τὰς χεῖρας ἔχοντος, quae ibi non satis apta esse censet, elicuissse sibi videtur lectionem, quae ipsa quoque paroemiacum efficit: τοὺς μὲν καθαρὰς τὰς χεῖρας ἔχοντας, ipse non dissimulans facilius in textum irrepere potuisse ἔχοντας pro νέμοντας, quam vice versa.

V. 308 evidens est Canteri emendatio ἁμά facta ex ἅμα, quae immerito a quibusdam recentioribus interpretibus labefactata est. στάσις a scholiasta explicatur τὸ σύστημα. Eadem significatione haec vox a nostro usurpatur Choeph. 105. 452.

Primus antisystematis versus (309) aperte corruptus ita in libris est scriptus:

εὐθυδίκαι θ' οἰδ' οἰμεθ' εἶναι.

In quibus verbis primum Casauboni emendationem, qui ex θ' effecit δ', recte receperunt plerique editores. Deinde in litteris οἰδ' οἰμεθ' aperte corruptis varia tentaverunt viri docti. De quibus ut decidamus, primum constituendum est utrum hic versus sit paroemiacus an integer anapaesticus dimeter. Illud quidem voluit Wellauerus, qui hunc versum paroemiacum relinquens in antecedenti pro ἁμά scripsit ἀμετέρα, ut ille evaderet dimeter acatalectus. Sed cum iam indicaverimus Hermannum recte universos hos anapaestos in systema et antisystema cum epodo nobis videri descripsisse, sequitur ut hic versus sit dimeter. Itaque ipse Hermannus, quem secuti sunt Schoemannus et Weilius, ita eum constituit:

εὐθυδίκαιοι δ' ἡδόμεθ' εἶναι.

Franzius ex H. L. Ahrensii coniectura pro ἡδόμεθ' dedit οἰόμεθ', sed cum dicit requiri εὐχόμεθ', hoc vel simile gloriandi verbum unice huic loco aptum esse quisque facile ei concedet. Gothanus, ut semper fere, requisitius aliquid quaerens, scripsit

εὐθυδίκαιοι θ' ὑδόμεθ' εἶναι.

Verbum ὕδειν sive ὑδέειν a Suida et in Et. Gud. explicatur ᾄδειν, ὑμνεῖν. Sed neque medium huius verbi in usu fuisse comprobavit editor Gothanus, et illud verbum significationem habet cantandi vel celebrandi, non gloriandi, quam unam huius loci sententia efflagitat. Itaque cum quaerendum mihi videatur verbum, quod et habeat hanc significationem, et quam proxime accedat ad litterarum ductus in

codicibus servatos, incidi in formam aliquam verbi ΟΙΔΩ. Quod ipsum et quae inde deducuntur vocabula cum propriam vim habeant tumendi, de impetu tamen animorum, praesertim gloriandi significatione, usurpantur. Cf. quae Hesychius tradit de his verbis: *οἰδαίνεσθαι· θυμοῦσθαι· καὶ τὰ ὅμοια.* Et paulo post: *οἰδοῦντες· ὀγκοῦντες, καὶ τὰ ὅμοια.* Mallem igitur, cum intercidisse aliquid videatur in cod. Med. inter litteras *δ* et *ο*, inserens verbum non insolitum *οἰδαίνεσθαι* versum ita scribere:

εὐθυδίκαι δ' οἰδαινόμεθ' εἶναι,

nisi turbaretur dimetri anapaestici diaeresis. Itaque inserendo verbo *οἴδεσθαι*, cuius mentionem facit schol. Euripidis ad Hecubae v. 26, ubi est vox *οἶδμα*, haec adscribens: *οἶδμα ἀπὸ τοῦ οἴδομαι τὸ ἐξογκοῦμαι*, versum ita constituo:

εὐθυδίκαιοι δ' οἰδόμεθ' εἶναι.

V. 312 in libris ita est scriptus:

οὔτις ἀφ' ἡμῶν μῆνις ἐφέρπει,

admisso hiatu inter *ἐφέρπει* et *ἀσινής* primum proximi versus vocabulum, quem Porsonus emendata verborum collocatione removit. Maluit littera adiecta infinitivum suspendere a verbo *ὕδειν* Gothanus. Sed quomodo verba inter se coniungi velit vir de Aeschylo optime meritus non assequor. Nescio enim quid sibi velit nominativus *οὔτις μῆνις* cum infinitivo coniunctus.

V. 314 libri habent

ὅστις δ' ἀλιτρῶν, ὥσπερ ὅδ' ἀνήρ.

In ultimo vocabulo, ut ab hoc incipiamus, nihil refert, utrum servemus librorum scripturam an cum Porsono scribamus *ἀνήρ*, cum Lobeckius ad Soph. Ai. 1194 docuerit in vocabulo *ἀνήρ* a tragicis in melicis primam produci solitam. Gravior restat quaestio in voce *ἀλιτρῶν*, quam Auratus, cui plerique editores assensi sunt, in *ἀλιτών* mutavit. Sed nescio an servandum sit *ἀλιτρῶν* et pro genere neutro accipiendum. *ἀλιτρά* a poetis dicuntur peccata, ut a Pindaro Ol. II, 107: *τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ ἀλιτρά*. Quod si hac sententia accipimus genetivum *ἀλιτρῶν*, ex accusativo *χεῖρας φονίας* suspendendus est. Sin quid mutandum esset, ego praeferrem scribere *ἀλιτρός*. Nam de participio aoristi *ἀλιτρών* deducto a verbo *ἀλιτραίνω* vix cogitandum videtur.

V. 317 notandum masculinum *πράκτορες* de Furiis dictum, pro quo vocabulo cum Wieselero scribere *μάστορες* non opus est. Atque vocabuli *πράκτορες* feminina forma omnino non exstat. Solent vero tragici formas masculinas usurpare, etiam si exstant femininae. Permultorum huius usus exemplorum unum afferre sufficit, Soph. O. R. 80 sq: *σωτῆρι τύχῃ*.

Insequenti versu iterum mihi nodum in scirpo quaerere videtur Gothanus offendens in verbis *αὐτῷ τελέως*, pro quibus forense aliquod verbum inserere vult *αὐτοτελῶς* sive *αὐτοτελεῖς*, ipse exploratum non habens, qua eius vocis formatione versus sit adimplendus.

Iam sequitur carmen ligatorium ipsum (sit huic verbo venia a Schuetzio conficto) inde a v. 319—388. Quod ex antistrophicis compositum esse inter omnes, qui de eo scripserunt, constat; de singularum stropharum descriptione haudquaquam constat. Ut rectam efficeret antistrophicam responsionem, Hermannus recepit versuum quorundam traiectionem iam olim propositam. Recte enim ab Heathio vv. 360—364, qui in libris leguntur post v. 368, post v. 359 positos esse ostendere conatus est. Quam rem plerisque Aeschyli interpretibus probavit, non probavit Fritzschio, Schoemanno, Gothano, Rossbachio. Quorum tamen unus quisque aliam ingressus est viam. Ac Gothanus quidem, ut ab hoc incipiamus, lacunosum esse ratus hoc carmen post v. 359 intercidisse putat quinque versus respondentes versibus 350—354 (*ἀνατροπὰς — ὕφ' αἵματος νέου*) itemque post v. 372 eundem versuum numerum respondentem quinque versibus, qui sunt apud Hermannum 360—364 (*μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα — δύσφορον ἄταν*). Schoemannus totum carmen ita constituit, ut strophae primae (vv. 319—332) respondeat anti-

stropha (vv. 333—344), sequatur stropha secunda a v. 345—348, quam excipiat mesodus a v. 349—354 (*δωμάτων γὰρ εἱλόμαν — ὑφ' αἵματος νέου*), deinde antistropha secunda a v. 355—357, item excepta mesodo (vv. 358 sq.), tum stropha tertia a v. 365—368, tertia mesodo a v. 360—364 (*μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα — δύσφορον ἄταν*) seiuncta ab antistropha (vv. 369—372), denique stropha quarta (vv. 373—380) cum sua antistropha (vv. 381—388). Totius igitur carminis conspectus ex Schoemanni descriptione hic est:

A. A. B. M. B. M. Γ. M. Γ. Δ. Δ.

Tres mesodos a tribus chori ducibus recitatas vult. Cui tamen descriptioni duae potissimum res obstant. Primum antistropha secunda evadit ei uno versu stropha brevior, quem de suo ipse addere cogitur. Deinde tres effecit mesodos versuum numero impares. Rossbachius autem in commentatione de Eumenidum parodo (ita enim vocat hoc carmen ligatorium) Vratislaviae edita a. MDCCCLIX Aeschylum mesodis uti non solere docuit nisi paribus et sibi respondentibus. Contra praeclare Schoemannum egisse censet, cum obloqueretur Hermanno, qui metrorum ratione illam versuum traiectionem efflagitari contendit: Prienium quoque, qui in mus. Rhen. VI, p. 187 de hoc carmine disseruit, etiam sententiarum continuitate traiectionem illam quam maxime commendari affirmantem, Hermanni argumentis irretitum se teneri passum esse. Videtur autem profecto mihi Rossbachius, etsi singulis cum eo dissentio, sententiarum continuitatem, quae inest in versuum ordine in codicibus servato, tam bene illustrasse, ut ego quoque recte se habere versuum illam traiectionem ab Heathio primum propositam, ab Hermanno et plerisque receptam mihi persuadere non queam. Egregia est, ut eius verbis utar, et per singulos gradus articulatim distincteque explicata imago, qua parricidae exitium describitur. Liceat paulo accuratius sententiarum hunc nexum exprimere a v. 348—372, quippe quae res ad constituendum totum hoc carmen plurimum valeat. Ipsas expertes feriarum albis vestimentis insignium domorum excidia sibi sumpsisse Furiae dicunt; si quis familiaris amicum occiderit, in eum se insilire atque occaecare, quamvis sit potens, propter recentem sanguinem; summam esse suam curam, ne deorum quis hoc munus sibi eripiat neve secum in ius eat; iam enim a Iove a suo senatu remotas se esse (ita ego intellegendos censeo vv. 358 sq., qua de re dicetur infra). Virorum etiam summis honoribus ornatorum gloriam evanescere ipsarum pullatarum impetu et exoso suo saltu; graviter enim insultantes se pedum suorum pondus in eos deicere quasi intolerabilem pestem, ut etiam qui sint celeri cursu labefiant; si quis autem ceciderit, ipsum non sentire prae insana rabie; talem caliginem homini offusam esse, altas autem in domibus tenebras magna voce a familiaribus complorari. Haec qui neget bene procedere, lucem a nocte differre negare suo iure Rossbachius contendit. Ipse igitur aliam rationem, qua in strophas suas describatur hoc carmen, instituit. Primum ad veteres de rebus metricis scriptores provocans quae apud Hermannum ceterosque editores sunt stropha et antistropha prima (vv. 319—343) in duas secrevit strophas et antistrophas, quae res haud magni mihi videtur esse momenti. Deinde hoc ordine apud eum se excipiunt stropha tertia, stropha quarta, antistropha tertia, stropha quinta, antistropha quarta, antistropha quinta, stropha sexta, antistropha sexta, ut hic evadat totius carminis conspectus:

$$\overbrace{\alpha\ \beta\ \alpha\ \beta}\ \overbrace{\gamma\ \delta\ \gamma\ \varepsilon\ \delta\ \varepsilon}\ \overbrace{\varsigma\ \varsigma}$$

Vult igitur versus 359—354 respondere versibus 360—364, qui versus ei sunt stropha et antistropha vel, quo nomine ipse utitur, mesodus et antimesodus quarta. Quos eosdem versus, mutato tantum ordine, Hermannus quoque sibi respondentes fecit. Utrique autem viro docto restituere responsionem non contigit nisi mutatis quibusdam verbis, qua mutandi necessitate dissuaderi horum versuum responsionem Schoemannus censuit. Sed non rari sunt per totum hoc carmen, quod corruptissimum nobis traditum esse iam indicavimus, loci, quibus sive metro sive sententia ad coniecturas proferendas, interdum satis

illas incertas, cogimur. Et Schoemannus ipse in illis ipsis versibus, quos crebris tantum mutationibus antistrophicos posse reddi censet, quaedam mutavit. Hoc igitur argumentum Rossbachianae huius cantici descriptioni non multum obstare crediderim. Alterum est quod ea nimis artificiosa stropharum responsio effici videtur. Sed id quoque infirmabitur, si reputaverimus exstare apud Aeschylum certa et indubitata artificiosioris in melicis responsionis exempla. Gravissimum quod ei obici possit argumentum ipse Rossbachius tollere studuit. Posse enim stropham cum mesodo orationis non interrupta continuitate cohaerere certissimis exemplis probasse sibi visus est. Quae res cum gravissima sit, facere non possumus quin singula exempla ab eo allata paulo accuratius exigamus. E quibus primum ea secernenda sunt, in quibus etsi non puncto distinguitur, aliqua tamen est inter binas strophas interpunctio. Eiusmodi sunt Choeph. 816 sq. Pers. 666 sq. Spt. 765 sq. Suppl. 996 sq. Eadem ratio est versuum Ag. 171 sqq., ubi tres strophae orationis quidem continuitate cohaerent, sed aliqua tamen interpunctione distinctae sunt. Similiter a Sophocle quoque chori carmina conformantur. Ita in Oedipo Rege v. 178 antistropha secunda relativo pronomine *ὦν* strophae suae adnectitur. Simili ratione eiusdem fabulae v. 1197 pronomine *ὅστις* stropha et antistropha conectuntur. V. autem 191 sqq. ad acc. cum inf. *Ἀρεά τε νωτίσαι*, a quibus verbis initium capit stropha tertia, non, ut vult Hermannus, supplendus imperativus *δός*, sed ille acc. c. inf. suspendendus est ex verbis *πέμψον ἀλκάν*, quae sunt in antistropha secunda. Ad nostrum vero locum ex Rossbachiana ratione constitutum propius iam accedunt Suppl. vv. 564 sqq., ubi stropha clauditur verbis

λαβοῦσα δ' ἕρμα δῖον ἀψευδεῖ λόγῳ
γείνατο παῖδ' ἀμεμφῆ,

ad quem accusativum antistrophae initio referuntur verba

δι' αἰῶνος μακροῦ πάνολβον.

Sed hoc quoque loco post vocem *ἀμεμφῆ* brevis temporis mora statuenda est. Restat ex exemplis a Rossbachio prolatis unum Spt. 832 sq., ubi sine ulla interpunctione primus antistrophae versus ultimo strophae adnexus est. Sed huius quoque loci alia est ratio. Namque cum antea vv. 828—837 monostrophici ederentur, ut totum hoc canticum a versibus incipit et clauditur versibus certe monostrophicis, primus G. Hermannus in his versibus antistrophicam responsionem restituit. Quae quamquam in dubitationem non vocata est a viris doctis, Weilius tamen antistropham v. 832 a plena sententia incipiens strophae initium et finem intercidisse putat. Neque igitur ullum exemplorum, quae Rossbachius protulit, nostro loco prorsus simile est, neque, quod exemplum ille non attulit, comparari licebat nostrae fabulae v. 1015 cum v. 1017 sententiae quidem continuitate coniunctum, sed versu intercalari seiunctum. Namque illo quoque loco post stropham brevis statuenda est distinctio, post quam interiectam et recitatum versum intercalarem ad strophae verba *μεγάλαι φιλότιμοι Νυκτὸς παῖδες ἄπαιδες* in antistropha refertur participium *τυχοῦσαι*. Nostri vero loci prorsus alia est ratio, quo si, ut voluit Rossbachius, mesodos statueremus sibi respondentes, verba *δωμάτων γὰρ εἰλόμαν ἀνατροπάς* (v. 349 sq.) arcte cohaerentia dirumpenda essent. Quare cum neque Rossbachius suam stropharum huius cantici descriptionem artificiosiorem mihi probaverit, neque Schoemanni ratio verisimilis mihi videatur cum propter alias causas, tum ob nimiam secundae strophae brevitatem, Hermannianam autem versuum quorundam traiectionem ob sententiarum nexum necessariam esse defensores eius haudquaquam demonstraverint: aliud quaerendum remedium ut antistrophicam in hoc carmine restituamus responsionem, quod totum fuisse antistrophicum iam eo est verisimile quod inter illud recitandum motus saltatorios facit chorus ad devinciendum Orestem. Iam vero si reputamus stropham et antistropham primam claudi versibus epiphthegmaticis prorsus aequalibus, si consideramus Aeschylum cum in aliis fabulis tum in nostrae fine posuisse prorsus aequales versus sibi respondentes, propter quam frequentem eorundem versuum itera-

tionem ab Aristophane etiam illuditur Ran. 1261 sqq., denique si inspicimus naturam ipsam versuum 349—354 et 360—364, qui et sententiarum et numerorum ratione epiphthegmaticum genus, ut ita dicam, quasi sapiunt: quid magis consentaneum et huic loco aptius est, quam ut eo adducamur ut stropham et antistropham secundam quoque et tertiam olim clausam fuisse putemus versibus epiphthegmaticis, itaque vv. 349—354 in secundae, vv. 360—364, qui in libris locum habent post v. 368, in tertiae antistrophae fine repetendos esse? Numerorum quoque genere confirmari hos versus epiphthegmaticos esse modo dixi. In eis enim, qui ex ordine in libris servato clausulas efficiunt secundae et tertiae strophae, numeri sunt maximam partem paeonici, qui ad incantationes, quibus Furiae Orestem devinciunt, praecipue sunt apti et ob eam ipsam causam a poeta in primae quoque strophae et antistrophae versibus epiphthegmaticis adhibentur. Id et olim iam Fritzschius videtur sensisse, qui in prima Eumenidum fabulae ab O. Muellero editae censura p. 28 sq. omnes huius carminis locos, quibus numeri paeonici apparent, i. e. vv. 326—331. 339—344. 350—354. 360—364 ab universo choro inter saevam saltationem, ceterum strophas et antistrophas ab hemichoriis recitari facit; et nuper perspexit Weilius, qui inter omnes hos versus ad incantationis genus pertinentes tibias conticescere vult. Versus autem illos post antistropham secundam et tertiam iterandos esse, et nuper Gothanus me monuit, qui in fine strophae tertiae fortasse epiphthegmatica strophae verba iterata fuisse putat, quo rectius intellegeretur illud *γάρ* initio strophae quartae, et ante hos sex et quadraginta annos iam G. C. W. Schneiderus exposuit in dissertatione de epiphthegmaticis versibus Aeschyli, Vimariae edita a. MDCCCXXIX. Qui vir doctus, cuius dissertatiuncula prorsus videtur ab recentioribus Aeschyli interpretibus neglecta esse, licet in inferendis in poetam versibus epiphthegmaticis hic illic iusto longius progressus sit, in hoc tamen carmine circumscribendo rectum eum vidisse puto. Censet enim, versus epiphthegmatici quia non solerent in libris iterari, sed signis quibusdam indicari, ex ignoratione horum signorum postea omissorum factum esse ut librarii veteresque typographi lacunas non explerent et qui secuti sunt editores ac metrici plerique abesse versus iudicarent. At toti huic versuum in fine duarum antistropharum iterationi duo etiam nunc obstare video, primum quod quarta stropha et antistropha epiphthegmaticis caret, itaque inaequalitas quaedam responsionis exsistit. Quae tamen inaequalitas sententiarum progressui plane est apta. Defervescere enim sub finem totius carminis Furiarum impetum ab omnibus paene interpretibus observatum est; placidiori autem animo etiam placidiores numeri apti sunt, neque saevae illi saltationi, quam recte statuit Fritzschius, in fine carminis locus est. Alterum est ut sententiarum continuitatem, quam versibus illis (360—364) sede sua non mutatis in toto carmine inesse Rossbachium secuti supra explicavimus, non turbari ostendamus bis insertis versibus epiphthegmaticis, sive mesophthegmaticos appellare mavis cum Gustavo Jacobo. Is enim in dissertatione 'de aequali stropharum et antistropharum in tragoediae Graecae canticis conformatione' Berol. MDCCCLXVI, p. 22, cum versus in fine primae strophae et antistrophae iterati a scholiasta et *ἐφύμνιον* et *μεσόφθεγμα* appellarentur, ex aliis quibusdam scholiastarum notis ea *ἐφύμνια*, quae, cum strophae tenorem interpellarent, quasi *διὰ μέσου* canerentur, *μεσοφθέγματα* nominata esse comprobavit. Cui nominum diversitati ego non ita multum tribuendum censeo. Sed ut ad rem redeamus, post antistropham tertiam insertis versibus 360—364 non modo non turbari sententiarum nexum, immo meliorem reddi, cum melius intellegeretur particula *γάρ* initio strophae quartae, iam Gothanum observasse modo commemoravi. Qua autem ratione in secundae antistrophae fine insertis versibus epiphthegmaticis sententiarum continuitas non turbetur, tum demum exponere licebit, cum quo modo isti versus antistrophae adnectendi nobis videantur dixerimus. Qua in re minus prospere elaboravit quem modo commemoravi Schneiderus. Versum enim *δωμάτων γὰρ εἴλόμαν* (349) ad epiphthegmatica non pertinere ratus prorsus interrupta orationis continuitate a voce *ἀνατροπάς* versus epiphthegmaticos incipit. Mihi vero cum persuasum sit epiphthegmatica ipsa per se plenam

sententiam efficere debere, sex versus epiphthegmaticos constituo a 349—354. Qui si recte constituti sunt, sequitur ut versus ἃς ἀπηξιώσατο ex antistropha exturbandus sit. Iam vero hoc loco quaestio oritur, verbis Ζεὺς γὰρ αἱματοσταγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε (v. 358), ut sunt in libris scripta, Furiae an homicidae significentur. Illud Hermannus voluit, contra quem exstitit universus paene recentiorum interpretum chorus. Mihi quidem identidem rem curiose reputanti illa verba nisi de Furiis videntur intellegi non posse, quae ita intellecta esse ab Heimsoethio quoque (Wiederherstellung etc. p. 303) video. Mitto quod permire poeta diceret ipsum eum deum homicidas a sua societate exclusisse, cuius in singulari tutela supplices, etiam caede contaminati, esse putabantur. At sententiarum nexum hac interpretatione abrumpi Gothanus contendit. Qui tantum abest ut abrumpatur, ut ea sola rectum sententiarum nexum effici contendam. Namque cum versibus qui antecedunt suum munus Furiae praedicaverint, de quo cum nemine deorum iudicio sibi certandum sit, num de improviso Iovem homicidarum genus a suo senatu removisse dicere eas censemus? De homicidis a sese circumactis sequentibus demum versibus loqui incipiunt. Sanguine autem se manare quidni Furiae dicant? Quamquam id quidem recte Rossbachius, Weilius, alii contendunt, Furias non se ipsas odio dignas dicere posse. Quae tamen offensio tollitur, si statuimus vocem ἀξιόμισον glossema esse, ab aliquo ad voces ἔθνος τόδε adscriptum, quod deinde nescio quo pacto in textum irrepserit et verbum exturbaverit quoddam verbo ἀπηξιώσατο simile. Denique Muelleri et Rossbachii vestigia premens, particula γάρ mutata in γ' et voce αἱματοσταγές in αἱμοσταγές totum versum 358 ita scribo:

Ζεύς γ' αἱμοσταγὲς ἃς ἀπέωσεν ἔθνος τόδε λέσχας.

Multo quidem frequentior est formatio αἱματοσταγής, sed exstat tamen αἱμοσταγής in Euripidis versu servato ab Aristoph. Ran. 471 (frg. 387 Nauck). Illud γ' autem inprimis aptum mihi huic loco videtur. Namque cum dixerint modo Furiae nolle se cum ullo deo in iudicium ire, γε particula inserta significatur a Iove quidem id sibi non timendum esse; ab illo enim a deorum concilio remotas esse. Scio satis multa me mutasse, ut hunc efficerem versum. Sed et lenibus remediis huic carmini succurri non posse iam supra dixi, et eas quas feci mutationes duabus insuper rebus excusari censeo. Quarum est altera quod ex mea huius versus constitutione usitatior evadit numerus, quam in omnibus quas inspexi editionibus apparet; versus enim est hexameter dactylicus: altera quod strophicus quoque (348) vitii aliquid contraxit; ut igitur responsio restituatur, mutationibus supersedere non possumus. Et quamcunque evolveris Eumenidum fabulae editionem, permulta novasse in hoc versu omnes editores videbis.

Restat ut doceamus, si ad hunc versum a nobis constitutum adiunxerimus versus epiphthegmaticos (349—354), non interrumpi sententiarum continuitatem quam supra exposuimus. Quod fusius declarare vix opus videtur. Quae enim aptior sententiarum continuitas cogitari potest, quam cum Furiae, postquam dixerunt a Iove se a deorum senatu remotas esse, repetentes quae ante iam dixerant, addunt domorum excidia sese sumpsisse sibi; si quis familiaris amicum occiderit, in eum se insilire atque occaecare, quamvis sit potens, propter recentem sanguinem; deinde dicere pergunt virorum etiam summis honoribus ornatorum gloriam evanescere ipsarum pullatarum impetu et exoso suo saltu.

Omnibus rebus ad hanc quaestionem pertinentibus diligenter perpensis, quantum omnino talis res probari potest, videor mihi comprobasse carminis huius antistropham quoque secundam et tertiam sicut primam epiphthegmaticis instructam fuisse versibus ex strophis iteratis, qui facile a librariis potuerint omitti. Necessarium autem erat universam carminis constitutionem, qualis nobis recta videatur, fusius paulo expedire. Iam videamus singula. Et de metro quidem in universum constat. Sunt enim in stropha prima maximam partem numeri cretici et paeonici, in trochaicos excurrentes, intermixto breviore versu logaoedico. In describendis versibus magis cum Weilio quam cum Hermanno consentio, nisi quod primum versum recepta lectione ἀλαοῖσι usque ad vocem δεδορκόσιν, in antistropha usque

ad ἔχειν extentum, insequens vocabulum ποινάν, in antistropha θνατῶν, basim sequentibus creticis constitutam malim.

Ad v. 319 notabile est quod adscripsit scholiastes: ἐπεὶ ὑπὲρ τῆς μητρὸς Ὀρέστου ἀγωνίζονται, οἰκείως τὴν μητέρα ἑαυτῶν ὀνομάζουσι. Scholiastas multis locis rectas et interpretationes et lectiones servasse, multis vero mirabilia adscripsisse constat. Ita noster quoque huius loci rationem haudquaquam videtur mihi perspexisse. Pro Orestis matre minime pugnant in hoc carmine Furiae, sed eius prorsus paene oblitae per totum carmen id unum agunt, ne a recentioribus deis, Apolline inprimis, eripiatur sibi munus homicidas persequendi. Quo in periculo cum sibi versari videantur, quid magis consentaneum, quam matrem suam ab eis invocari, a qua auxilium exspectent?

In versibus 319—325 nihil est quod adnotem. Ex incantatione, quae subiungitur strophae et antistrophae primae (vv. 326—331 = 339—344) de duobus vocabulis disserendum est. Primum de φρενοδαλής (v. 328). Quo vocabulo, cuius producatur syllaba paenultima, paeonicorum numerorum aequabilitatem turbari iam ab aliis observatum est. Itaque iam in cod. Med. adscriptum οἶμαι φρενοδαής, et Burgesius coniecit φρενοδακής. Prienius quoque in censura Oresteae a Franzio editae, quae inserta est mus. Rhen. vol. VI., corruptam esse hanc vocem contendit p. 571. Quam sanam esse posse etsi Lobeckio (Rhemat. p. 320) concedimus, numerorum tamen ratio suadet ut scribamus φρενοδαής vel φρενοδακής, paeonas enim illos ad incantationem aptos versu logaoedico interruptos fuisse vix probabile videtur. Ad sententiam proxime accedit, metro vero repugnat vocabulum φρενώλης Spt. 738.

In ultimo incantationis versu (331) Furiarum cantus vocatur αὐονά βροτοῖς. Quod scholiastes interpretatur ὁ ξηραίνων τοὺς βροτούς. Atque ita accipere hoc vocabulum cum plerisque eisque praestantioribus interpretibus satius videtur, quam cum Muellero de clamore cogitare. Videtur enim hac significatione usurpatum hoc vocabulum Ionibus proprium fuisse. Exsiccandi significationem huic loco aptam esse iam Victorius perspexit, cum scribendum esse coniceret αὖων βροτούς, quae tamen est mutatio minime necessaria. Sin servamus lectionem αὐονὰ βροτοῖς, adiectivum ἀφόρμικτος cum vocabulo ὕμνος coniungendum esse patet. De quo vocabulo haec adnotavit scholiastes: οὐ γὰρ σὺν ὀργάνοις μουσικοῖς γίνεται οὗτος ὁ ὕμνος. Quod ita intellexit Muellerus, ut totum hoc carmen cithara quidem, non tibiis caruisset. Sed recte Weilius statuere videtur inter recitatas proprias incantationes (vv. 326—331 = 339—344. 349—354. 360—364) tibias quoque conticuisse.

In antistropha prima pauca disserenda sunt de vv. 334 sq. Ubi cum libri habeant θανάτων τοῖσιν αὐτουργίαις ξύμπασωσιν μάταιοι, primum Canterus θνατῶν effecit ex θανάτων, tum cetera emendans Turnebus ita hos versus vel hunc versum, ut ego exsistimo, constituit:

θνατῶν τοῖσιν αὐτουργίαι ξυμπέσωσιν μάταιοι.

Quae verba satis aptam praebent sententiam. Illud enim, αὐτόχειρ, αὐθέντης et similia vocabula a Graecis non tantum de eis dici, qui ipsi sibi, sed etiam qui aliis suas manus intulerint, notissimum est. Tamen cum dativum αὐτουργίαις firmet scholiastes adscripto αὐτοφονίαις, Weilius hunc locum ita constituit, nescio an rectius:

θνατῶν τοί νιν αὐτουργίαις ξυμπατῶσιν μάταιοι,

'mortalium qui eam (Parcam, i. e. legem aeternam) parricidiis proculcant vani scelestique'.

V. 336. ὄφρ' ἂν γᾶν ὑπέλθῃ, scil. parricida. Quod notandum, cum modo de vanis scelestisque mortalibus Furiae locutae sint. Similis est numerorum mutatio v. 310, ubi pluralem τοὺς προνέμοντας excipit singularis ἀσινὴς δ' αἰῶνα διοιχνεῖ.

Haec notanda mihi videbantur de stropha et antistropha prima. Graviores autem corruptelae insunt in altero stropharum pari. Quod ad metrum attinet, primo occurrunt numeri dactylici. Ubi autem incantationibus utuntur Furiae, incipiunt a versu trochaico, mox ad paeonicos progrediuntur; qua-

lse tamen in ultimis duobus versibus sint numeri, tum demum constituere licebit, cum quo modo legendi nobis videantur exposuerimus.

V. 346 libri habent *ἀθανάτων δ' ἀπέχειν χέρας*. In quibus verbis offensi sunt viri docti. Ac primum quidem Prienius in mus. Rhen. VI, p. 185 non posse haec verba recte se habere fusius exposuit: parum enim decere Furias dicere se a diis immortalibus manus abstinere; igitur ad sententiam aptum esse quod Eversius coniecit *ἄπ' ἔχειν γέρας*, cum autem in versu dactylico recitando facile coalescere possint verba *ἄπ' ἔχειν*, scribendum esse *δίχ' ἔχειν γέρας*. Quod idem Hermannus dedit. Aliam rationem Weilius instituit. Cui cum verbum *ἀπέχειν* significatione 'abesse' aptam huic loco sententiam efficere videatur, scripsit *ἀθανάτων δ' ἀπέχειν ἑκάς*. Mihi, ut dicam quod sentio, iure librorum scripturam reliquisse intactam videntur Franzius et Rossbachius, immerito offendisse Prienius, Hermannus, Weilius. Perhibentur enim dei quoque interdum piacula commisisse. Quae quidem exempla sunt rara, sed sunt tamen. Nonne ipsas Furias ex sanguine natas esse Hesiodus narrat Theog. 185, qui manarit abscisis Urano genitalibus a Saturno filio? Nonne Saturnus iterum a Iove filio in Tartarum demissus est? Et ipse Apollo acerrimus in nostra fabula Furiarum adversarius Pythone angue occiso ad piaculum exsolvendum Admeto Thessalorum regi in servitutem se dedisse narratur. Haec exempla afferre sufficiat, quibus demonstretur deos quoque interdum facinora commisisse, quae persequi Furiae suum munus esse credere possent. Tamen ut ab immortalibus manus abstinent, *χεῖρας ἀπέχουσι*, ita se in persequendis homicidis ab illis turbari nolunt. Ita totam huius loci rationem consideranti aptissima mihi videtur lectio *ἀθανάτων δ' ἀπέχειν χέρας*.

V. 347 forsitan servanda sit cum Wieselero forma *συνδάτωρ*, quae est codicum scriptura, cum syllabae *δα* in antistropha respondeat ἐς.

V. 348 ut est in libris scriptus:

παυλεύκων δὲ πέπλων ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην,

cum antistrophico (358) non congruit. Quod vitium viri docti alii aliter removere studuerunt. Ut dactylus compleretur, Muellerus scripsit *ἀπόμοιρος* pro *ἄμοιρος*, quod valde ab Hermanno impugnatum potuisse hic scriptum esse Rossbachius probavit in calce commentationis. Ipse Hermannus tertio eiusdem sententiae adiectivo inserto versum ita edidit:

παλλεύκων πέπλων δ' ἀγέραστος ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην.

Quae trium adiectivorum coniunctio quamvis immerito ab aliis vituperata esse videatur, aliam tamen emendandi rationem mihi instituendam putavi. Namque cum simillimae sint voces *ἄμοιρος* et *ἄκληρος*, id Dindorfio concesserim, alterutram illarum vocum quasi glossema in textum irrepsisse et genuinam vocem expulisse. Quam fortasse fuisse *μούνα* censens Dindorfius ita versum constituit:

παλλεύκων δὲ πέπλων ἄμοιρος μούνα ἐτύχθην.

Cui versui antistrophicum eiecto vocabulo *αἱματοσταγές* et inserto *πᾶν* talem opposuit:

Ζεὺς γὰρ ἀξιόμισον πᾶν ἔθνος τόδε λέσχας.

Paulo audacioribus remediis in corruptissimo hoc carmine opus esse iam saepius monuimus. Itaque ut congruentem faciamus hunc versum antistrophico a nobis iam constituto, quam proxime accedentes ad Hermannianam rationem ita scribimus:

παλλεύκων πέπλων δ' ἀγέραστος ἄκληρος ἐτύχθην.

Quae versus constitutio eo mihi probabilitatem videtur habere quod facile librarius aliquis insolentius vocabulum *ἀγέραστος* interpretari potuerit in margine adscripto *ἄμοιρος*, quod deinde in textum admissum genuinam vocem eiecerit. Ingeniose Weilius et qui eius vestigia pressit Weckleinius in studiis Aeschyleis p. 170 hunc versum expedire conati sunt. Primum enim Weilius scholiastae interpretationem *οὐδαμοῦ ὅπου ἑορτὴ καὶ ἀμπεχόνη καθαρὰ πάρειμι*, non pertinere ratus ad verba *ἄμοιρος, ἄκληρος*,

sed ad genuinam scripturam, ex qua haec depravata esset, ex ἄμοιρος effecit ἀνέορτος. Quo arrepto Weckleinius simulque in usum suum vocata Hesychii glossa: ἄφαροι· ἀνείματοι, ἀνένδυτοι scripsit ἀνέορτος, ἄφαρος. Ingeniosum est duorum illorum virorum inventum, neque negaverim posse duo illa adiectiva ἀνέορτος, ἄφαρος a scholiasta lecta et explicata esse. Sed lecta esse non debuerunt, et ad verba παλλεύκων πέπλων ἀγέραστος, ἄκληρος ἐτύχθην non minus apte adscribere potuit: οὐδαμοῦ ὅπου ἑορτὴ καὶ ἀμπεχόνη καθαρὰ πάρειμι.

V. 351 recte φίλος, quae est librorum scriptura, Turnebus correxit in φίλον, quam correctionem omnes editores receperunt. Contra repudiaverunt quod idem vir doctus in sequenti versu coniecit, ἐπιτόνως pro ἐπὶ τὸν ὦ. Quae coniectura si minus certa, speciosissima tamen mihi videtur, quod a verbo δίεσθαι accusativus pendere solet. Qua ratione Hermannus quoque videtur motus esse, cum verba ἐπὶ τὸν ὦ ex διόμεναι minus bene pendere intellegens absolute ea posita esse censeret, ut supplendum sit verbum 'irruentes'. Idem tamen Hermannus in sequentibus verbis emendandis audacius mihi videtur versatus esse. Quae in libris ita sunt scripta: διόμεναι κρατερὸν ὄνθ' ὁμοίως μαυροῦμεν ὑφ' αἵματος νέου. In quibus verbis vocabulum ὁμοίως pro ὅμως (tamen) usurpatum a tragicorum usu abesse cum intellexisset Arnaldus iam mutavit in ὅμως. Cetera omnia, in quibus valde elaboraverunt viri docti ut antistrophicam responsionem constituerent, nos intacta servantes, nisi quod cum Rossbachio ex μαυροῦμεν facimus ἀμαυροῦμεν, vv. 352—354 ita scribimus:

ἐπιτόνως διόμεναι
κρατερὸν ὄνθ' ὅμως ἀμαυροῦμεν ὑφ' αἵματος νέου.

Quae verba et metrum et sententiam praebent aptissimam. Ut enim in primae strophae versibus epiphthegmaticis paeonici numeri excipiuntur trochaicis, qui ad maiorem animi quietem Furias pervenisse indicant, ita in secundae quoque strophae fine paeonici numeri transeunt in versum trochaicum catalecticum, cui adnectitur logaoedicus. Quod si servamus verbum μαυροῦμεν a libris praebitum, numeri parum conveniunt, cum exsistat dipodia trochaica hypercatalecta sequente versu logaoedico cum anacrusi. Quae offensio facile evitatur, si cum Rossbachio alteram verbi formam restituimus ἀμαυροῦμεν. Tunc enim est dimetēr trochaicus catalecticus, cui adiungitur logaoedicus. Sententia autem est haec: 'Impense persequentes (scil. eum, qui cum sit familiaris, telo amicum occiderit), quamvis potens sit, tamen occaecamus propter recentem sanguinem'.

Initio antistrophae secundae sequitur locus prope desperatus, qui quo modo sit sanandus ne ipse quidem pro liquido affirmare ausim. Vv. enim 355—357 in libris ita sunt scripti:

σπευδόμεναι δ' ἀφελεῖν τινὰ τᾶσδε μερίμνας
θεῶν δ' ἀτέλειαν ἐμαῖσι λιταῖς ἐμπικραίνειν
μηδ' ἐς ἄγκρισιν ἐλθεῖν.

Cui loco a viris doctis tentatissimo si quis medicinam attulerit, maximam se habiturum esse gratiam ipse fatetur vir de Aeschylo optime meritus: Schoemannum dico. Quae viri amplissimi hortatio mihi quoque animum addidit, ut, quantum facere posse mihi viderer, hunc locum expedire conarer. Ac primum quidem, quamquam utitur σπεύδεσθαι verbo medio noster Ag. 140, hoc tamen loco participium σπευδόμεναι vix recte se habere potest. Illud enim quod participio admisso exsistit anacoluthon aliis poetarum locis ab interpretibus adscitis, qui quidem similes videntur esse, excusari non potest. Primum apud Soph. O. R. 159 sqq. post participium πρῶτά σε κεκλόμενος interiectis trium deorum nominibus sequitur imperativus προφάνητέ μοι, ante quem facile suppletur verbum 'imploro'. In eiusdem fabulae v. 1526 recentiores editores pro ἐπιβλέπων aut receperunt emendationem iam a Musgravio propositam ἐπέβλεπεν, aut aliud inseruerunt verbum finitum (ἐζήλου). Ex nostro duos Agamemnonis locos protulit Hermannus ad Vig. p. 770. Quorum tamen priorem in Aeschyli editione ipse aliter explanavit: namque vv. 533 sqq.

μόχθους γὰρ εἰ λέγοιμι καὶ δυσαυλίας,
σπαρνὰς παρήξεις καὶ κακοστρώτους, τί δ' οὐ
στένοντες, οὐ κλαίοντες ἥματος μέρος;

ad verba εἰ λέγοιμι, ut in sermone familiari, apodosin deesse in eam sententiam: vix finem invenirem. Minus etiam ad nostrum locum congruit Ag. 1479 sq.: ὅποι δὲ καὶ προβαίνων πάχνᾳ κουροβόρῳ παρέξει, ubi in sententia relativa adhibitum participium idem esse ac si diceretur ὅποι δ' ἂν καὶ προβῇ Hermannus docuit. Etiam eorum quae Weilius affert exemplorum alia est ratio. Anacoluthon enim quod est v. 103 in priore de hac fabula commentatione explicavimus. V. 469 nominativus τυχοῦσαι, pro quo ex grammatica ratione ponendus esset genetivus, excusatur pronomine αὗται, quod est in antecedenti versu. Quod si recte procederet oratio, dicendum erat στάζουσιν ἰὸν πέδῳ πεσόντα χώρᾳ ἄφερτον αἰανὴν νόσον. Pro quo paululum mutata sententiae forma poeta dixit ἰὸς πέδῳ πεσὼν χώρᾳ ἄφερτος αἰανὴ νόσος, scil. ἐστίν. Est igitur hoc anacoluthon prorsus simile eius quod supra notavimus v. 98 sqq.: ἐγὼ δ' ὑφ' ὑμῶν ὧδ' ἀπητιμασμένη — — — ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται. Denique Weilius affert Choeph. 780, quo loco ἀμείψει propter additum participium verti non posse 'tu vicissim accipies' recte contra Hermannum aliosque contendit, sed vertendum esse 'ille, scil. Orestes, tibi reddet'. Sed illud quoque anacoluthon facile excusatur, cum 'ille tibi reddet' et 'tu vicissim accipies' ad sententiam non multum discrepent. Nostro autem loco tali ratione participium cum eis quae sequuntur consociare frustra conaberis. Itaque quin corruptela insit in participio mihi quidem non dubium videtur. Quod primus cum perspexisset Doederleinius in programmate gymnasii Erlangensis a. MDCCCXX, p. 9, pro σπευδόμεναι δ' scripsit σπεύδομεν αἵδ'. Tamen cum totam quam proposuit horum versuum interpretationem vir ille doctissimus mihi non probavit, tum recte Schoemannus observavit σπεύδομεν αἵδ' vertendum esse 'Ecce nos, adsumus et contendimus', quam sententiam ab hoc loco alienam esse. Hermannus, ut aliorum commenta taceam, prorsus recedens a ceterorum interpretatione hos versus ita edidit:

σπενδομένᾳ δ' ἀφελεῖν τινὶ τάζδε μερίμνας
Μοῖρ' ἀτέλειαν ἐμαῖσι λίταις ἐπικραίνει,
μηδ' ἐς ἄγκρισιν ἐλθεῖν.

Haec verba, quae ipse interpretari omisit vir doctissimus, aliter tamen intellegi posse non videntur nisi ita: 'Cum pactus sim me alicui has curas dempturam esse, Parca immunitatem meis precibus (i. e. precibus quibus ego invocor) tribuit neque me in iudicium venire sinit'. Contra quam Hermannianam rationem recte Schoemannus, cuius disputatio ex omnium, qui de hoc loco disseruerunt, disputationibus maxime mihi placuit, monuit haud satis apte a Furiis aliquem, scil. deorum, ista cura liberatum dici, primum quod illae, quae per totam fabulam suam maiestatem praedicare non desinerent, se ministras quasi vel vicarias aliorum deorum esse indicarent, tum quod munus a fato vel Parca Furiis traditum vetustius esset quam qui tunc regnabant dei. Sed ne ea quidem ratio, qua ipse Schoemannus hunc versum constituit, mihi satis facit. Vult enim ita eum scribi:

σπευδομένας ἀπέχειν τινὰ τᾶσδε μερίμνας,

et ita intellegi, ut σπευδομένας sit genetivus participii passivi, ille quidem ad μερίμνας referendus. Quare ita hunc versum vertit: 'Diesem Geschäft, das wir treiben, bleibe man fern'. Omnes vero qui adhuc de hoc carmine egerunt editores et interpretes mihi sententiarum universam continuitatem nondum satis videntur perspexisse. Per totum enim carmen id ante omnia agunt Furiae ut suum munus parricidas persequendi obtineant, neve quis deorum hoc sibi eripiat: a recentioribus autem deis, inprimis ab Apolline, in suo se munere turbari queruntur. Quae cum totius carminis summa sit, inde huius quoque loci interpretatio vel emendatio, quae quidem opus erit, proficisci debet. Timore se angi, ne a quo deorum hoc munere priventur, his versibus Furias dicere, et per se mihi videtur patere, et scho-

liastae interpretatione confirmari puto, quippe qui adscripserit: *εὔχομαι τοῖς θεοῖς τελέσαι μου τὸ βούλημα καὶ μὴ εἰς μάχην μοι ἐλθεῖν.* Quae verba haudquaquam cum Weilio inepta crediderim. Quare pro *σπεύδειν* requirens verbum timendi vel deprecandi significatione cum verbum aliquatenus tantum aptum nondum invenerim, servato interim verbo *σπεύδειν* ceterisque quam lenissime mutatis tres illos versus ita scribo:

σπεύδομεν αἰὲν ἑλεῖν τινα τᾶσδε μερίμνας
θεῶν, ἀτέλειαν ἐμαῖσι λιταῖς ἐπικραίνειν
μηδ' ἐς ἄγκρισιν ἐλθεῖν,

et ita verto: 'Semper curamus ne quis deorum huiusce (i. e. meas) curas eripiat, meas (i. e. quibus ego invocor) preces irritas faciat neve mecum in iudicium veniat'. Quod si Furiae dicunt se operam dare ne quis sibi has curas demat, inprimis Apollinem ab eis intellegi recte iam monuit Petersenus in observationibus ad Aeschyli Eumenides praemissis programmati universitatis Hauniensis a. 1827, p. 12. Nondum omnia sana esse in his versibus ipse iam indicavi. *ἐμαῖσι λιταῖς* quamvis, id quod voluit Hermannus, passive intellegi possit, valde tamen adducor ut cum Schoemanno probem Vossii coniecturam *ἐμαῖς μελέταις*. Vocem *ἀτέλειαν* significatione forensi, qua est 'immunitas', hic accipiendam esse cum haudquaquam interpretes comprobarint, primitivam eius significationem, statum rei inperfectum indicantem, ego praetulerim. Sed praecipua, quam iam commemoravi, offensio remanet in verbo *σπεύδομεν*. Ad quam accedit quod particula *μή* desideratur. Quae omnes offensiones evitarentur, si, id quod mihi venit in mentem, ita scriberemus:

σπεύδετε μή μ' ἀφελεῖν τινα τάσδε μερίμνας
θεῶν, ἀτέλειαν ἐμαῖς μελέταις ἐπικραίνειν,
μηδ' ἐς ἄγκρισιν ἐλθεῖν.

Haec tamen mutatio ipsi mihi audacior videtur, quam ut in textum eam admittendam putem.

De ratione, qua insequens versus (358) constituendus, et post illum versus epiphthegmatici (349—354) repetendi sint, iam supra exposuimus. Ex nostra igitur carminis constitutione sequuntur vv. 365—368, qui una cum tertio versuum epiphthegmaticorum numero (360—364) stropham tertiam faciunt. Constat autem haec stropha primum ex tribus versibus dactylicis, quorum primus duplici basi auctus est, post quos versus dactylicos sequitur dimeter trochaicus item basi auctus. Qui sequuntur versus epiphthegmatici ut priores ex genere sunt paeonico ac sicut in stropha secunda, in clausulam logaoedicam excurrunt.

De primis quattuor versibus nihil notandum, nisi quod *κατὰ γᾶν*, quod libri habent v. 366, Hermannus, vulgarem restituens usum, mutavit in *κατὰ γᾶς*. Attamen Aeschylo insolentior ille accusativus videtur concedi posse, quem recte intactum servarunt ceteri editores. In epiphthegmaticis *ἁλλομένα* (v. 360), quae est librorum scriptura, Hermannus mutavit in *ἁλομένα*, quam emendationem receperunt recentiores editores. Nos quoque, qui hos versus ipsos sibi respondentes facimus, hanc tamen emendationem recipiendam ducimus, ut efficiatur numerus paeonicus. In extremis duobus versibus valde elaboratum est a viris doctis ut responderent versibus 354 sqq. Quo quidem labore nos supersedere possumus. Attamen iam antiquitus interpretationis vel fortassis lectionis varietatem fuisse in his versibus scholiastae indicant verba, qui haec adscripsit: *τοῖς ταυδρόμοις αὐτῶν κώλοις ἐπάγουσα τὰ σφαλερά μου κῶλα. ἢ ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς, καὶ τοῖς ταυδρόμοις γίνεται σφαλερὰ τὰ κῶλα, διὰ τὴν ἐπιοῦσαν αὐτοῖς ἄτην δύσφορον ὑπ' ἐμοῦ. οἷον, καὶ οἱ ταχυδρόμοι οὐ δύνανταί με ἐκφυγεῖν.* Duae sunt interpretationes, ex quarum priore Furiae se hominibus celeri cursu praeditis sua membra inferre dicunt, quae ut concidant faciant. Active enim, si hanc sequimur interpretationem, accipienda vox *σφαλερά*. Sed cur illis tantum qui celeri sunt cursu? Praeterea mihi desiderari videtur particula *καί*, quam ab

eo, qui aliam perscripsit interpretationem in scholiis servatam, lectam esse patet. Qua inserta voce ita hi versus leguntur:

σφαλερὰ καὶ ταυυδρόμοις κῶλα, δύσφορον ἄταν.

Simul qui hanc perscripsit interpretationem, ab eo passive intellectam esse vocem σφαλερά manifestum est. Prorsus eandem emendandi viam, quae metrorum quoque ratione commendatur, cum efficiatur dimeter paeonicus, etiam Rossbachius iniit. Sed is nimis artificiosam interpretationem videtur mihi excogitasse, poetico colore ποδὸς ἀκμὰν καταφέρειν κῶλα dictum esse pro ποδὸς ἀκμὰν φέρειν κατὰ κῶλα. Mihi posterior interpretatio, quam scholia praebent, ex qua verba σφαλερὰ καὶ ταυυδρόμοις κῶλα pro parenthesi accipienda sunt, huic loco videtur aptissima.

In antistropha tertia ad v. 370 haec scholiastes adscripsit: κνέφας· σκότος φρενῶν. λείπειν φασὶ διὰ δὲ μύσος. οὐκ ἔστι δέ. αὐτὸ γὰρ τὸ μύσος κνέφας εἴρηκεν. E quibus verbis sequi videtur vocabulum μύσος non lectum esse a scholiasta in libro suo. Quare, si respicimus Hesychii glossam μυσά· μιαρά, μεμιασμένα, nescio an iste versus ita scribendus sit:

τοῖον ἐπὶ κνέφας ἀνδρὶ μυσῷ πεπόταται.

Mihi quidem sententia corrigi videtur, si altero nominativo caremus. Namque si μύσος servamus, tamen κνέφας nominativus tantum esse potest, ἐπὶ autem admissa tmesi cum πεπόταται coniungendum. Tam leni mutatione in integrum restituere hunc versum praestat quam cum Pauwio alterum substantivum pro appositione accipere, qua interpretandi ratione nescio quid languidum in totam sententiam infertur.

De extremis antistrophae tertiae verbis αὐδᾶται πολύστονος φάτις inter Fritzschium olim et Muellerum certatum est, utrum accipienda essent de unius parricidae multo an de multorum illum complorantium gemitu. Posterius, quod voluit Muellerus, iam scholiastes videtur intellexisse, cum interpretaretur κακὴ δὲ φήμη περὶ τοῦ οἴκου αὐτοῦ λέγεται. Quarum interpretationum neutram sibi satis placere Wieselerus affirmavit: sed πολύστονον φάτιν esse clamorem occisi contra domum, i. e. in perniciem domus occisoris, obscuras tenebras eloquentem, quo audito clamore Furiae excitarentur ad interitum parandum scelesto. Ecce tres prolatas interpretationes! Iam quaeritur quaenam e tribus et quam proxime accedat ad originationem vocabuli et ad totius loci continuitatem sit aptissima. Atque, ut dicam quod sentio, Wieseleriana interpretatio minime mihi arridet. Per totam enim antistropham ita de occisore loquuntur Furiae, ut occisi hic non locus videatur. Quod si respicimus vocabuli originationem, πολύστονος φάτις est φάτις πολλοὺς στόνους ἔχουσα. Quod cum aeque de multo unius ac de multorum gemitu dici possit, unus quisque tamen primum audita voce πολύστονος de multorum gemitu cogitabit parricidam complorantium. Sed alia restat quaestio, quam ne moverunt quidem interpretes, verbum αὐδᾶται utrum sit medium an passivum. αὐδᾶσθαι etsi est medium apud Soph. Phil. 130. 852, Ai. 772, atque etiam apud nostrum Spt. 659, hoc tamen loco passive intellegi videtur praestare. Me quidem non satis perspicere fateor quid sit: 'Sermo multos gemitus habens caliginosas tenebras eloquitur'. Quod si passive hoc verbum intellegimus, restat offensio in accusativo δνοφεράν τιν' ἀχλύν ita nude posito. Itaque pro κατὰ scribens κάτα et ad antecedentem accusativum hanc praepositionem referens hos duos versus ita verto: 'In caliginosis domus tenebris (scil. quae effectae sunt a nobis Furiis) a multis hominibus gementes sermones eduntur'.

Denique venimus ad quartam stropham et antistropham. In quibus defervescere Furiarum impetum supra iam monuimus. Cui defervescenti impetui respondent metra, versus iambici et trochaici, quibus sub finem dactylicus intermixtus est. Recte enim, ut infra videbimus, dochmiacum Weilius exturbavit. In distinguendis autem versibus et ab Hermanno et a Weilio paululum recedo. Primum enim versum extendendum censeo usque ad vocem τέλειον, in antistropha usque ad δέδοικεν, ut sit monometer iambicus, cui adiungitur dimeter trochaicus catalecticus; deinde constituo tripodiam iambicam, cui adi-

citur trochaeus: *κακῶν τε μνήμονες σεμναί = βροτῶν ἐμοῦ κλύων θεσμόν*, post quem versum sequuntur tres dimetri iambici. In fine strophae Weilii vestigia premens primum constituo tripodiam iambicam, deinde tetrametrum dactylicum catalecticum, postremo dimetrum trochaicum catalecticum.

Statim initio strophae iterum lis diiudicanda est olim excitata inter viros doctos de verbis *μένει γάρ*. Quae cum eis quae sequuntur coniungenda censuit Muellerus, ut *μένει* sit dativus nominis *μένος*. Contra Hermannus fieri non posse contendit quin *μένει* pro verbo acciperetur et post hoc verbum plenius interpungeretur. Quam Hermannianam huius loci constitutionem plerique interpretes receperunt, in quibus etiam Wieselerus. Sed is aliter atque Hermannus haec verba interpretatus est: ad *μένει* supplendum esse subiectum *ἀχλύς*, eis quae sequuntur causam afferri, cur, si semel caedes perpetrata sit, domus occisoris semper tenebris obvoluta sit. At neque scholiastae verbis haec interpretatio confirmatur et omnino improbanda est. Melior enim et ad sententiarum continuitatem, quae est per totum carmen, aptior excogitari non potest, quam quae ab Hermanno explicata est: 'Manet enim', scil. hoc nostrum parricidas persequendi et puniendi munus, quod quale sit in sequentibus versibus denuo Furiae describunt. Quam interpretationem unice veram et Aeschyli ingenio dignam esse censeo, ut viros doctos alias huius loci emendationes et interpretationes circumspexisse doleam, id quod Weilium fecisse video. Is enim, reversus ad Muelleri interpretationem, cui *μένος* est irae vis, scripsit *μένει γὰρ εὐμηχάνῳ τε καὶ τελείῳ*.

V. 375 acerrime adversus Muellerum iam Fritzschius contendit *σεμναί* Furiarum esse nomen proprium, quam rem propter grammaticas rationes aliter se habere non posse. Eandem interpretationem nuper repetivit Heimsoeth 'Wiederherstellung' p. 208: *Σεμναί*, pro nomine proprio accipiendum, totius sententiae esse subiectum. Et profecto si ita interpretamur, totius loci sententia nescio quo pacto illustratur. Insuper metro quoque haec interpretatio fulcitur, cum post tripodiam iambicam inserta vox *Σεμναί*, cui in antistropha respondet *θεσμόν*, singularis aliquid habeat momenti.

Cetera strophae et antistrophae verba, ut sunt in libris scripta, metricis quibusdam laborant vitiis, quibus sententiae quoque tanguntur. Necesse autem est strophica et antistrophica coniunctim considerare. Stropha igitur sic incipit in libris:

μένει γάρ· εὐμήχανοί τε καὶ τέλειοι
κακῶν τε μνήμονες Σεμναὶ
καὶ δυσπαρήγοροι βροτοῖς,
ἄτιμ' ἀτίεται διόμεναι
λάχη, θεῶν διχοστατοῦντ'
κτλ.,

antistropha sic:

τίς οὖν τάδ' οὐχ ἅζεταί τε καὶ δέδοικεν
βροτῶν, ἐμοῦ κλύων θεσμὸν
τὸν μοιρόκραντον ἐκ θεῶν
δοθέντα τέλεον; ἔπι δέ μοι
γέρας παλαιὸν οὐδ'
κτλ.

Duobus haec verba laborare vitiis patet, primum quod in quarto versu longa syllaba *ται* respondet brevi *ον*, deinde quod in quinto versu in antistropha desideratur iambus. Illud removit Canterus cum in stropha scriberet *ἄτιμ' ἀτίετα διόμεναι*. In quibus tamen verbis non immerito offensus est Weilius, cuius rei ille tres affert causas: primum nunquam ab Aeschylo coniungi verba synonyma ab eadem stirpe declinata planeque idem significantia, deinde aegre verbo finito nos carere; denique minus apte *ἄτιμ' ἀτίετα λάχη*

a διόμεναι pendere, quo verbo fuga trepida notetur. Itaque ipse verbum τίομεν in participio διόμεναι latere suspicatus mutato verborum ordine scripsit ἄτιμα τίομεν ἀτίεται. Qua emendatione aptissime, quo aegre carebamus, inseritur verbum finitum. Quid vero? si leniorem etiam emendandi hunc versum rationem docuerimus, nonne haec praeferenda videbitur? Primum servamus terminationem αι in verbo τίεται, quod accipimus pro genere passivo verbi τίειν: quod eo minus habet offensionis, si quae antecedit sententia, in qua Σεμναί Furiarum esse nomen proprium et subiectum modo docuimus, per se est integra. Ex διόμεναι autem lenissima mutatione facto διαμένει duos versus 377 sq. ita scribo:

ἄτιμα τίεται, διαμένει
λάχη θεῶν διχοστατοῦντ'.

'A nobis (qui simus Σεμναὶ εὐμήχανοί τε καὶ τέλειοι, κακῶν τε μνήμονες καὶ δυσπαρήγοροι βροτοῖς) inhonorata honorantur, sors (nostra) a deis seiuncta manet'.

Metra recte procedunt; sunt enim duo dimetri iambici. In antistropha vero, quippe quae careat iambo, plura mutanda sunt. Ad quem supplendum alii alia excogitaverunt. Quorum cum nihil satis sit certum, me quoque quo modo aptissime mihi explenda videatur lacuna proferre fas erit. Facto igitur τελέως ex τέλεον, ut inter se respondeant syllabae ως et ται, et inserto pronomine demonstrativo versus 385 sq. ita scribo:

δοθέντα τελέως; ἔπι δε τοῦτ'
ἐμοὶ γέρας παλαιὸν οὐδ'
κτλ.

ἔπι, quod scholiastae auctoritate confirmatur, qui adscripsit ἔπεστι, servandum esse iam a Wieselero Weilioque observatum est. Pronomine autem τοῦτο adiecto nomini γέρας aptissime significatur vetus Furiarum honorificum munus esse illum θεσμὸν τὸν μοιρόκραντον ἐκ θεῶν δοθέντα τελέως.

Post tres illos dimetros iambicos in stropha sequuntur verba ἀνηλίῳ λάμπᾳ, in antistropha ἀτιμίας κυρῶ. Quae in ultimo iambo patet sibi non respondere. Quam responsionem qui restituere conatus est scribendo λάπᾳ, Wieselerus, acerrime est ab Hermanno vituperatus. Sed vocem λάμπη, quae significat squalorem, forma tantum differre a λάπη, neque posse hoc loco de lucis significatione cogitari, recte Weilius monuit. Quo magis miror eum neque Wieseleri coniecturam in textum recepisse neque intactum servasse verbum κυρῶ. Voce autem λάπη utitur prima syllaba correpta Diphilus in fragmento servato ab Ath. IV, p. 132 e. Et videtur omnino in vocabulis derivatis a radice λαμπ littera nasali eiecta prima syllaba correpta fuisse, si quidem recte G. Curtius Etymol. Gr. vol. I, p. 231 comparat Latina vocabula 'lepor' et 'lepidus'. Id quidem constat, recepta Wieseleriana emendatione λάπᾳ et intacto servato verbo κυρῶ numerum evadere utique meliorem, nempe meram tripodiam iambicam.

Post vocem λάπᾳ sequitur in stropha δυσοδοπαίπαλα, quae quidem vox eis quae sunt in antistropha καίπερ ὑπὸ χθόνα satis videtur respondere. Sed dochmiacam clausulam in Aeschyli strophis iambicis esse inauditam recte Weilius observavit. Huic saltem stropharum pari, quippe in quo defervescat Furiarum ira, numerus dochmiacus parum convenit. Quare ut dactylicum efficeret numerum, e sua coniectura Weilius dedit δυσμολοπαίπαλα. Mihi magis etiam arridet δυσποροπαίπαλα, quod idem Weilius iactavit et Heimsoethius quoque coniecit, Wiederherstellung etc. p. 106.

Postremo si Furiae se honoris non expertes esse dicunt (οὐδ' ἀτιμίας κυρῶ), hoc non repugnare eis quae supra v. 377 dixerant, suam sortem inhonoratam esse, iam Schuetzius demonstravit: duplicem enim fuisse condicionem Furiarum, alteram quod exclusae a consortio deorum apud illos non honoratae fuissent, alteram quod hominibus venerandae ab eis non sine metu et honore colerentur.

Scribebam Regimontii Neomarchicorum mense Ianuario a. MDCCCLXXVI.

Reinhardus Schultze.